



1. Antonij s. paulij diff. de
 patre Lutheri Lutheri
 Hale 1730.

2. _____ diff. de adu
 penitentiali, Hale 1709.

3. _____ diff. de fide,
 Hale 1728.

4. Baumgarten s. Gijom. Jacq
 diff. de gravibus peccatorum
 Hale 1736.

5. _____ diff. de dicit
 scripturae sacrae pro
 cantibus, Hale. 1734

6. Baumgarten / Sijism. Jac. f.
 Diff. de præcatione Christi pro
 avertendo Calice, Hald 1735
7. _____ Diff. de Christo a
 judæis conspiciendo ad Matth. 23.
 Hald 1736.
8. _____ Diff. fideles gradus
 honorum operum et virtutis.
 Hald 1739.
9. _____ Diff. de discrimine
 ejus quod naturale et
 morale dicitur. Hald
 1738
10. _____ Diff. exhibens
 padobaptismi demonstratio-
 nem et vindictas. Hald. 1738
11. _____ Diff. de anamartiri-
 sia ab hominibus in
 hac vita non obtinenda, Hald
 1739
12. _____ Diff. de peccato
 in Spiritum Sanctum, Hald
 1740!
13. _____ Diff. de polygemia
 simultanea illegitima, Hald
 1734.

14. Baumgarten s. Sigism. Jac. Diff.
de pietate Ministri Ecclesie
ab auditore rante exami-
nanda, Halle 1790.
15. Breithaupt s. Joach. Justif. Diff.
Forma sanorum Verborum,
Halle 1711.
16. _____ Diff. de precum
Christianorum veritate,
Halle 1700.
17. _____ Diff. de heresi
juxta Sacrd Script. sensum,
Halle 1709.
18. _____ Diff. de Nervis
pelayianismi Halle 1700.
19. _____ Diff. de vita
Christi in fidelibus, Halle
20. _____ Diff. ¹⁷⁰¹ de vera Dei
rerumq; Sacrarum notitia.
Halle 1707.
21. _____ Diff. de mysterio
unionis fidelium cum Deo
et Christo, Halle 1698

22 Breithaupt s. Joach. Justi
Diss. de vocatione primaria
et secundaria, Halle, 1700


23 ~~_____~~ Diss. complectens
animadversiones selectae ad
deciar quorundam opinio-
nes, quibus hodie Ecclesiam
prophetae creditur, refellendas,
Halle, 1710


~~24 Clauwitz s. Bened. Gottl.
Diss. de fide in Jesum
Christum Halle 1741
Clauwitz s. Bened. Gottl.~~

27 ^{unp} Dissertaciones
quinq. de fide in Jesum
Christum, Halle 1739.

28
No. 1. 2. 3. 4. 5.

24 de Dobroslan s. Car. Arny
29 Diss. ex introductione
juris Ecclesiastici
Francof. 1736







F. D. F. 2

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
ODIO PŒNI-
TENTIALI,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
PAULI ANTONII,
SS. THEOL. DOCT. ET PROFESSORIS PUBL. ORD.
IN ALMA FRIDERICIANA,
PUBLICO *ἑερολογημάτων* EXAMINI EXHIBUIT,
D. XXVI SEPT. A. MDCCIV.

RESPONDENS AUCTOR,
PETRUS SCHÆFFER,
BEROLINENSIS, IAM SUPERINT. BRANDENB.



TERTIA EDITIO.

HALÆ MAGDEB. sumtu HENDELIANO, 1728.

V I R O
EXCELLENTISSIMO;
DOMINO MEINHARD
NEUHAUS,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI RE-
GIS BORUSSIÆ, ET ELECTORIS BRANDE-
BURGICI CONSIL. CONSIST. BEROLINEN-
SIS LONGE GRAVISSIMO, PRO-
TONOTARIO, ETC.

PATRONO SUO SUMMO,

QUOVIS OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,

FELICITATEM!

VIR EXCELLENTISSIME!

Parvone summopere suspiciende!



Hominum vitiosissimam NATU-
RAM sequentium officia erga
Deum vitiorum plena esse, sim-
plicis veritatis amici non infici-
antur. SANGUINEI & PHLEG-
MATICI se solutos atque a cura
veri cultus Dei liberatos putant, dum egenis
elementis, quæ de Christianismo admodum ado-
lescentuli imbiberunt, acquiescunt. Si forsitan
fungi volunt munere ecclesiastico, parum operæ
ponunt in cultu Dei vero, qui in spiritu & veri-
tate consistit, penes se sentiendo, sed omnis ip-
sorum consistit fiducia in conceptibus, quos de Dei cul-
tu memoria comprehenderunt. Si gratia Dei
alii prodeunt, veterum quorundam asserta emen-
daturi, adeo his dominatur torpor, ut ea non
probe meditentur, sed tanquam nova spernant,
speci-

speciem constantiæ præ se ferentes. Ad Scepticismum hujusmodi homines proniores ceteris esse, constat. Si externæ honestati student, cultum externum non adeo negligunt, & quidem, ut, tempus terendi causa, confabulari cum aliis, nova videre & audire, musica se oblectare possint. Quod cum nihil aliud sit, quam OTIUM, ab aliquibus PIUM dicitur OTIUM, & opponitur illi, quod CRASSUM, & quod DOCTUM nuncupatur. CHOLERICORUM ambitio plerumque in adolescentia & a publicis, & privatis ludimagistris magis ac magis excitatur, ita, ut solidæ pietatis, qua tamen nihil est pretiosius, plane negligantur fundamenta. Ætate provecti (cum ferme hi omnes alta mente sint præditi) vident plurimos, tam Theologos, quam Christianos, qui de Deo & eius cultu multa loquuntur, nondum suas fregisse cupiditates. Vident multos libros, qui de Dei cultu vero agere dicuntur, multis apinis repletos, inde maius adhuc odium veri cultus Dei capiunt. Dignitatis gradum adipiscentes, studiosissimi & diligentissimi famæ suæ sunt, ut per ora SAPIENTUM HUIUS SÆCULI pervolent; inde quidvis potius, quam cultum Dei curant, quamvis cultus externi haud raro sint observantissimi. Si sunt Viri Theologi, omnibus suis ideis, quas de Dei cultu habent, omnes volunt onerare, & si aliqui sunt, qui

qui iis accedere recusant, hi pro hæreticis ab illis habentur, etiamsi nihil foveant, quod fidei fundamentum evertat. MELANCHOLICI ad idololatriam, hypocrisin, superstitionem, ceteris pro-niores sunt, & eorum cultus erga Deum ex timore fluit servili. Hic ergo cultus cum sit aver-sus a verbi divini præscriptione, nihil in illo potest Deo placere. VIR EXCELLENTISSIME! hæc omnia mihi inspicienti sacra historia suggerit rationem, quam obrem Deus hæc hominum natura-lium officia non probet, non laudet, nimirum, quia illi nondum sunt experti ODIUM POENITENTIALE, sub quo debuissent purgari. In quar-tum iam annum in hac FRIDERICIANA vixi, atque, ad tempus eam relicturus, diligentia meæ quod-dam dare documentum sum iussus. Inde hanc mihi materiam, quantum per Dei favorem, æta-tem atque ingenium mihi licuit, sumsi tractan-dam, sperans fore, ut illa sit multis fructuosa. TIBI vero, VIR EXCELLENTISSIME! hoc spe-cimen academicum submisse offerre sum ausus, ex illa in primis ratione, quam palmariam signi-ficabo. TU ille es, qui, cum ego sum baptizatus, nomine mei, usu rationis tum carentis, pollici-tus es ODIUM POENITENTIALE, renuntiando Sa-tanæ atque omnibus eius operibus. Non ergo TIBI ingratum futurum autumavi, si senties, quod


quod non tantum ego, ut promisso iusti, quod TV
loco mei fecisti, satisfiat, illud ODIUM per Dei
gratiam magis ac magis experiri coner, verum
etiam ad ILLUD alios inflammare suscipiam. De-
um fatigabo precibus, ut TIBI, PATRONE SUM-
MOPERE SUSPICIENDE! FAMILIÆQVE, qua gaudes,
splendidissimæ, bonorum animæ & corporis fi-
ant accessiones. Valeas! floreas diu! in reipu-
blicæ salutem, favoremque in me serves,

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

*Dab. in Academia Fridericiana,
Idib. Sept. A. O. R. 1704.*

devotissimum cultorem,

PETRUM SCHÆFFER.



F. D. F.

Ecclēsiā non esse societatem animo ac vultu hilarī
semper præditā, sed ægrotantē, omnibus eius
membris est apertum. Cum enim sanctis infini-
tum sit suscipiendum bellum adversus Cacodæmo-
nem, sensum humanum, improbæque multitudinis
torrentem, eorum, dum lassitudinem sæpenumero sentiunt,
imminuitur lætitia, licet non plane frangatur. Neminem
tamen eorum pertæsum est negotii suscepti, sed potius divi-
nis, quibus septi sunt, viribus inflammantur, ad persisten-
dum in eodem constanter. Norunt enim, sic impleri vo-
luntatem Dei, & militem magis sanari. Hanc indolem esse
Evangelii sciunt, quod a Christo, capite suo, recipiunt, ut
dulce sit iis in ore, instar mellis, at vero ventri quædam ex-
inde afferatur amaritudo. Apoc. X, 9. Joh. XXI, 18. Sub-
inde spiritu suo se sistunt coram throno Dei, ibique intuen-
tur *quatuor illa viva* Johanni repræsentata, Apoc. IV, 7. quæ
acerrime diiudicant statum, in quo est ecclesia. *Primum vi-*
vum, simile *leoni*, contemplatur quodlibet ecclesiæ mem-
brum, num *leonis* animo refrenet hostium spiritualium fu-
rorem, 2 Tim. II, 5. *Alterum*, speciem habens *vituli* s. *bovis*,
Ezech. I, 10. Iustrat ecclesiam, num magis magisque reddita
sit *sacrificium* Deo acceptum, Rom. XII, 1. *Tertium*, simile
homini, considerat ecclesiæ militem quemlibet, num in eo sit
occupatus fortiter, ut sanguinem & carnem *Θιαυθγωρας* ede-
re

re & bibere alacriter pergat, Joh. VI, 56. *Quartum*, non dis-
 simile *aquilæ* volantis, examinat hominem, an ita devincat
 illecebras, ut, virtute *aquilæ* cælestis, indies tendat ad ea,
 quæ Dei sunt, spretis iis, quæ habet sæculum, Jes. XL, 31. Ita
 stimulos habet ecclesia, ad stabilem & perpetuam per-
 mansionem in lucta, magis indies vires imbibens ex plenitu-
 dine Christi, Joh. I, 16. s. ex mari vitreo, quod est ante thro-
 num, Apoc. XXII, 1. Jer. II, 13. Psal. XXXVI, 9. 10. 1 Cor. X,
 4. Prov. XXXI, 6. Nihilominus sponsa, licet vibicibus
 Salomonis cælestis sanata, 1 Pet. II, 24. se adhuc maculas, ex
 solis æstu superstites, habere fatetur, Cant. I, 6. Lapsum, in
 medio diei commissum, intelligit per æstum solis, quem
 causam esse dicit, quamobrem ex parte adhuc nigra, & sic æ-
 grota sit. Gen. III, 8. Christus ambulasse dicitur in horto
 circa ventum diei, cessante nimirum deplorando illo solis æ-
 stu. Cum igitur sponsa adhuc onus quoddam agnoscat in
 corpore deponendum, & cum suis hostibus bellare, invete-
 ratoque in eisdem ferri odio perseveret, multo magis illi, qui
 gratiam sentiunt prævenientem, ingens suscipere debent o-
 dium in ea, quæ mentem a Dei, sui ipsius, & hominis socii
 amore vero averruncant. Quod odium, quam luctam, ap-
 pellamus usitate *Odiū pœnitentiale*. Digna res est, quæ in-
 time ponderetur. Et cum lumen Dei mirabile se sistat ho-
 minibus primum in *diluculo*, deinde in *aurora*, postea in *die*,
 denique in *meridie*, a quolibet totis, quibus a Deo stipatus est,
 viribus danda est opera, ut ex diluculo tandem ad exopta-
 tum exitum provehatur. Tractationem totam in *duo* di-
 spescimus *Capita*, quorum primum exhibet: *Odiū Pœ-*
nitentiale infidelium adhuc & *laptorum*: posterius, *Odiū*
Pœnitentiale iam flantium in gratia.

CAP. I.

CAP. I.

DE

ODIO POENITENTIALI
LAPSORVM, ET ADHVC IN-
FIDELIVM.

Luc. XIV, 26.

*Si quis venit ad me, ET NON ODIT pa-
trem suum & matrem, & uxorem, & libe-
ros, & fratres, & sorores, immo vero etiam a-
nimam suam, (coll. Joh. XII, 25.) non potest disci-
pulus meus esse.*

§. I.



Dium *Pœnitentiale* dicimus, quia & quatenus oritur sub & ex doloribus *pœnitentiæ*, 2. Cor. VII, II. Quo statim fit perspicuum, quod non intel- ligamus odium quoddam *hostile*, quo quis profequi debeat patrem &c. siue ut dicitur *personale*, quod quis fieri debeat *infestus* *tr̃* *materiali*, siue personæ patris &c. sed *reale*, quod *tr̃* *formali*, moribus & molitionibus parentum vitioforum, immo *sui ipsius* adhæsi- oni carnali in Patrem, Matrem &c. opponendum. Hoc sensu sæpe occurrit in Psalmis, vbi Dauid odium, dicit, habeo in impios. B. Glassius *Phil. Sacr.* sequentia habet: p. 285. *Odisse parentes & alia, in causa religionis & pietatis*

B

zis, est non ita diligere, ut Christum & eius doctrinam, sed eos **POST-HABERE**, ita, ut, vocatione divina ferente, deserantur, si in Christi seruitio remoras iniicere velint. Et D. Ioh. Olearius, Theologus hodie Senior Lipsiensis, de stylo N. T. ad v. 26. Luc. XIV, ita scribit: τὸ μισῆν ἢ. l. idem est ac **POSTHABERE**, **NON CVRARE**: Patet hoc ex l. Ἐργα καὶ ἡλω Mattb. X, 37. Vbi τὸ μισῆν huius loci explicatur per ὑπὲρ ἐμῆ Φιλίαν, **SVPRAME DILIGERE**. Sensem hunc recipit ad exemplum Hebraei **נשׂו** præter odium sepe nudam **POSTHABITIONEM** aut **POSTPOSITIONEM** notantis. vid. Gen. XXIX, 30. 31. Vbi Lea exosa (i. e. posthabita Rabeli & minus amata) fuisse dicitur Iacobo. &c. Per **ANIMAM**, cui hoc odium propriissime opponendum, intelligimus totum **HOMINEM**, in primis ἢ. l. animæ dictamina, vitam in hoc mundo respicientia, Ioh. XII, 25.

§. II. Ut videamus, summam necessitatem quemlibet naturalem hominem premere, ut, secundum Christi mandatum, durus sit in sui ipsius animam, considerabimus statim qualis sit huius anima, & quales protrudat fructus. Adamus lapsus est, vetula illa arbor, cuius nos omnes ramuli sumus, atque sic ex eadem traximus succum venenatum & pestiferum. Hoc pacto anima est omnis ita collutulata, ut animalis homo, etiamsi toto studio excoluerit animam suam, φυχικὸς non possit capere ea, quæ spiritus Dei sunt, i. Cor. II, 14. (cum gloss. marg.) Iac. III, 15. Rom. II, 7. Iudæ v. 19. Mal. II, 16. Alle Weisen dieser Welt seynd ausgegangen von sich selbst, und wollen nicht wieder einkehren, und in sich selbst gehen. Alles was sie seynd, das seynd sie in andern, und andere in ihnen, es ist alles menschlich, fleischlich und irdisch, niemand will der Welt zum Narren werden, nach des Apostels Meinung, auf das er in Christo möge weise seyn, i. Cor. III, 18. Es will kein Schriftgelehrter die Schande haben, als hätte ers bisher nicht verstanden, wer **CHRISTUS** sey, oder wer er selbst sey, oder was ein

ein Mensch ist? Sondern sein Bilde, das er gemacht hat, beret er an für Christum selber, und also ist die ganze Welt voll Abgötter, und weiß es nicht, darum auch mit ihr nichts ist auszurichten. Sic describit tremendum statum hominum, etiamsi insigniter sint animales, Anonymus (*) in libro, qui inscribitur: Das Geheimnis vom Tempel des Herrn, u. s. w. Part. 2. p. 201. 202. seq. & B. Lutherus, F. Trin. Die GEGE ist also tieff gesendet in das Fleisch, daß sie es will behüten und beschützen, daß es nicht Schaden leide, also daß sie mehr Fleisch ist, denn das Fleisch selber. R. P. f. 287. b. edit. Berol.

§. III. Vita animalis s. caro est ista patria iniquitatibus referta, Aegyptus & Sodoma, relinquenda a quolibet conuertendo, tunc ei monstrabit Deus terram, in qua possit habitare tranquille, Ies. XXXII, 17. 18. Cum Deus videt agrum foetum frugibus, steriles herbas sedulo seligit; si mixtum, vna crescere sinit triticum & zizania. Quod si agrum fruges non ferentem videt, etiamsi magna cum cura & diligentia eum coluerit, eundem execratur. Marc. XI, 13. 14. Heb. VI, 7. 8. Anima naturalium hominum est ager non ferax, Christus in eodem colendo est occupatus, clamans: vos homines, odio prosequamini vestram animam! Si quis attendit atque aucupatur verba Christi, vt saltem vnum gignat fructum, Joh. XV, 2. cura diuina plures dabit tempore insequenti.

§. IV. Anima rationalis hominibus dicitur: *Parentes esse honorandos*. Quod principium, in se spectatum, est veritas, sed detinetur in iniustitia, Rom. I, 18. 25. ab hominibus non renatis. Hi diligunt Parentes, sed ex falso principio; vident eos, qui despiciatui habent Parentes, a

B 2

Deo

(*) nobis quidem plane incognitus. vide animadversiones Praesidis de Pat. mo Lutheri p. 77. 78. edit. ult.

Deo, a magistratu puniri, immo patrimonium amittere; vident eos, qui diligunt parentes, felicitate vti, inde ex metu damni, ex spe præmii seruili, honorem parentibus habent. Huic animæ vt homo venturus ad Christum sit infestissimus, idem inculcat.

§. V. *Suum cuique tribuendum*, ostendit anima rationalis. Infideles, vt tueantur hominum societatem, impertiunt aliis ea, quæ ad illos pertinere autumant, ex quoniam principio? ex amore Dei? nullo pacto. Rom. III. 18. VIII. 7. sed ex *Φιλανθία* vt *vicissim* iis illud tribuatur, quod ab alio postulare possunt, atque ita copiam habeant viuendi luxuriose atque affluentius. Iac. V, 5.

§. VI. Fatentur irrogeniti: *Neminem esse lædendam*. Perniciosissimum enim sibi ipsis fore arbitrantur, si lædant homines socios, quoniam & ipsi fiunt insidiæ, qui insidiator est vitæ alterius. Hoc ergo principium, alias verum, quatenus transmutant in mendacium, Rom. I. 25. iure damnatur, quia veritas non integra est; quia fluit ex falso fonte; quia ad finem falsum dirigitur. Nolunt enim mortales viuere sine principis, sed illa dicuntur *dogmata viuentium in mundo*, Col. II, 20. quibus demori debeant sub odio poenitentiali. Propter huius defectum omnes eorum actiones sunt falsæ, nam cor in eo statu semper fouet reseruaciones mentales.

§. VII. Decori sunt obseruantissimi, in illis est humanitas, comitas, in vestitu, incessu ita se gerunt, vt neminem facile offendant. Quæ omnia *cum in finem* non negligunt, vt hi mores ipsis & suis concilient & fingant fortunam, Ps. CXLIV, 8. II. 12. Ies. LXXV, 11. Cum igitur hæc arbor sit putrida, eius fructus nullo modo possunt dici boni, Matth. VII, 17. 18. conf. I. Cor. XIV, 40. 33. XI. 14. Et cum omnia fluant ex anima, quatenus in obseruatione principiorum

rum

rum illorum commoditatem consequi annitur, non autem ut voluntati Dei satisfiat, inde Christus exigit ab hominibus, ut, si velint eius esse discipuli, odium aduersus hanc animam suscipiant.

§. VIII. Multi quidem sunt, hæc naturæ principia in toto vitæ actu repudiantes, qui vulgo bestiales vocitantur. Ita, respectu externo, triplex constituitur status, bestialitatis, rationalitatis, & Christianismi. Sacrarum historiarum monumenta duplicis, respectu spiritali, status mentionem faciunt. Aut enim homines sunt animales, gerentes imaginem Cacodæmonis, aut sunt spirituales, Dei imaginem referentes, 1. Cor. II, 14. 1. Joh. III, 10. Joh. VIII, 44. Sibi indulgentes sunt serui peccati, non minus quam illi, qui externe etiam sunt dissoluti, ibid. v. 34. XV, 15. Qui rationem, tanquam suam, optime coluerunt, aduersus Christianismum omnia faciunt, atque in iis corrumpi dicuntur, quæ naturaliter, tanquam irrationalia animalia, sciunt, Iud. v. 10.

§. IX. Christus animalium hominum misericordia captus, ipsis, ut suam animam odio prosequantur, imperat. Quicquid est primogenitum secundum spiritum, illud magnæ Deo est lætitiæ: contra ea, quicquid *primogenitum secundum carnem*, illud a Deo hic contemnitur. Hoc adumbratur in Caino, Ismaele, Esauo, Ruben &c. Illud, quod sic est antiquum, reiicitur, Ies. XLIII, 18. 19. XXX, 22. Non stitit V. fœdus. Hebr. VIII, 7. 13. Damnatur verus creatura quia caro est, Ioh. III, 6. Heb. XII, 14. 1. Cor. XV, 50. Nouum seu primogenitum *secundum spiritum* in Christo valet, Gal. VI, 15. Vita animalis est illa bestia, cui si quis litat, nec cum ea præliatur, ita ut victoriam reportet, ille plane non in resurrectione primam habebit partem Apoc. XX, 6. est Leuiathan, Ies. XXVII, 1.

est agnus ille, a Leuitis sanctum s. paradisum intraturis
maectandus; est Barrabas, iure optimo enecandus, Matth.
XXVII, 20.

§. X. Vita animalis est palliata, sub prætextu cari-
tatis, erga patrem, matrem &c. se seruare gestit. Huic
animæ, s. his propensionibus, titulo patris, matris &c.
atrocitatem suam tegentibus, opponendum est odium
pœnitentiale. Ad Christum venturus agnoscere debet,
quod anima, sub prætextu amoris erga patrem &c. (dum
putat, parentibus esse in cunctis obsecundandum, paren-
tes non esse relinquendos in certis casibus) ipsi dolum
machinetur, & quod illud, quod appellat amorem, non
mereatur titulum amoris, sed potius odium sit dicen-
dum. Odium erga patrem & vitam &c. Christus Joh.
XII, 25. ita exprimit: *qui odit animam suam in hoc saculo, eam
seruaturus est in vitam æternam.* Hunc locum si contendi-
mus cum eo, Luc. XIV, quem iam tractamus, videre est,
quod nulla alia Christi mens sit, quam secessionem esse
faciendam ab illa anima, propensionibus, modo sub hoc,
modo alio titulo latitantibus.

§. XI. Iuuabit hic statim commemorare de illo
Christum secuturo, Luc. IX, 61. 62. qui precatus est Chri-
stum, vt ipsi daretur venia, valedicendi in synagoga Sa-
tanæ (Apoc. II, 9. III, 9.) ne dicerent, eum domo profu-
gisse tanquam scurram. Christus, in cor huius hominis
penetrans, (Hebr. IV, 12.) vidit, eius propensiones, quas er-
ga parentes, fratres &c. habuit, esse impuras, ipsique ani-
mæ periculum esse allaturas, inde, caue, inquit, videas re-
trorsum. Si vides retrorsum, non eris *εὐθετός*, bene dispo-
situs, ad regnum cælorum. Apertum igitur est, quinam
sint ad regnum Dei *εὐθετοί*, quinam ad illud *πεπυγμένοι*,
Act. XIII, 12. 46. 48. quinam *σώζομενοι*, II, 47. 2. Cor. II,
15.

15. 1. Cor. I, 18. quinam ἀπολλυμένοι, ibid. 2. Theff. II, 10. ἀγλαζόμενοι, Hebr. II, II. X, 14. quinam ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς, Apoc. XIV, 3. nimirum illi, qui tractionem patris, Ioh. VI, 44. sentientes, se submittunt ordini diuino, Col. II, 5. Aët. XXII, 10. nec respiciunt ad ea, quæ in domo sua, Luc. XVII, 32. nec sunt ἀνοπὸτακτοί, Tit. I, 10. Zach. VII, 12. 13. 14. Ioh. V, 44. Prou. XXIV, 10.

§. XII. Iohannes, cui cognomen Marci, filius Mariæ, Aët. XII, 12. 25. tenellus in Christianismo, non perstabat fidelis, relinquens illud opus, ad quod vocatus atque iterum proficiscens ad matrem, XIII, 13. Dubium non est, quin interferuerit abitus sui causas, minus tamen recte fecit. In hoc enim adducendus est tener, vt perferat famem, rerumque aliarum inopiam, Phil. IV, 12. Paulus Aët. XV, 38. noluit hunc Iohannem habere itineris socium, τὸν ἀποστάτην, qui defecerat ab illis, atque ab opere, ad quod vocatus. Describitur hoc loco abitus Iohannis tanquam ἀποστασία. Ex quo videmus, quinam sint Apostatæ proprie dicti, non tam hi, qui deficiunt ab his vel illis formulis, quas secta illa, in qua nati, receperit, quam qui, negligentes crucem Christi, defiscunt a Deo viuo, a quo vocati sunt ad cæli regnum. Hebr. III, 12. X, 38. 39. Cum autem Iohannes vitæ suæ statum commutasset, Paulo erat deinde iucundissimus, Col. IV, 10. Iosès Leuita (ob peculiare forsân donum, solatium adferendi iis, qui sub tentationibus & morbis gemunt, filius consolationis dictus, Aët. IV, 36. 37.) admirandum in modum expertus luctam carnis & spiritus, eamque victicem, pecuniam suam ponens ad pedes Apostolorum. Quæ non est consuetudo Leuitarum, cæstro cupiditatis pecuniæ plerumque percitorum, Luc. X, 32.

§. XIII. Christus dicit, Ies. L, 4. 5. Iehoua aperuit mihi aurem, & ego non rebellauit, retro non recessi. Eius vita ut meritoria, ita quoque exemplaris, i. Pet. II, 21. Phil. II, 5. Eph. V, 1. I. Cor. IV, 16. 17. XI, 1. Inde noluit copiam dare vocatis iam a Deo ad cœnam nuptiarum agni, (Apoc. XIX, 9.) properandi ad cognatos suos, quoniam illis colloquium prauum maxime malo tum futurum præuidit. Ex eodem fundamento non permisit cuidam discipulorum suorum, ut sepeliret Patrem suum, Matth. VIII, 21. 22. Christus non erat ἀσέβης, non erat μισοῦς. Σέβης, nam Luc. VII, 11. 14. quendam efferri cernens & ipse constitit, viduæ luctum solatio leuans. Sed sciuit hunc discipulum nondum esse iuuenem in Christianismo, qui *Dæmonem vicisset*, i. Ioh. II, 14. Zach. IX, 17. Cognati & amici acclamassent defuncti filio: o cognate! amice! maneat apud nos in terra tua, honeste victum tuum quaere. Existimationis tuæ a maioribus acceptæ detrimentum facies, amplius secuturus illum Nouatorem, Christum.

§. XIV. Putant aliqui a Christo postea huic datam tandem esse copiam sepeliendi Patrem, & quidem ex Luc. IX, 60. Quod si ita se haberet, omnino esset statuendum, eum a Christo ita confortatum esse oleo diuino, Cant. I, 3. Ps. XXIII, 5. ut abitus & ipsi, atque amicis esset profuturus. Enim vero quantum nos existimamus, ipsi Christus hoc non permisit, ac si Christus locutus sit cum gestu: Tu vero abi, sc. porro in Christianismo, abi ab huiusmodi cogitationibus, relinque illas, annuncia regnum Dei, ad quod negotium te mihi discipulum elegi.

§. XV. Consilia Christi particularia non sunt quidem, qua talia, pro vniuersalibus habenda, iuuat tamen adhuc

adhuc obseruasse id consilium particulare cerro tempore. Qui sentiunt horrendam suam *miseriam*, quam facili negotio possint abripi ad praua colloquia, carimonias ineptas, Ps. I, 1. 1. Cor. xv, 33. diligenter curabunt præceptum viri pauperis, sapientis, nimirum Christi, (Cohel. ix, 16. 15. vii, 13. Ps. xiv, 6. coll. Matth. xxvii, 43. Prou. xxvii, 9. c. xxiv, 26. Gen. xxvi, 27. 28. Act. xxvii, 21. ii. Sirach. vi, 35. 36. 37. Luc. xxii, 41.) Quando ergo *incipientes in Christianismo* (seu parui, Matth. X, 42. s. timentes nomen Domini, Apoc. xi, 18. Zach. xii, 8.) ad tempus relinquunt Patrem, omnes cognatos, non ex fastu, vt vani dicunt, spirituali, sed ex *dissidentia virium suarum*, non ex despectu aliorum, sed *sui ipsius*, faciunt. Contra huius sæculi hominibus dominatur fiducia virium *proprium*, audaces sunt, arbitrantes, se, absque vilo damno, omnibus colloquiis cognatorum, amicorum interesse posse. Facile autem hoc ipsis concedimus, quod Dæmon non quaerit illos tentare per huiusmodi colloquia, & alia, quia iam tum sunt sub potestate eius & peccati dominio, & duri quoad cor 2. Tim. II, 26. 2. Petr. II, 19. Rom. vi, 16. Act. xxvi, 18. Luc. xxii, 53. Col. I, 13. Hebr. II, 15. 1. Reg. xxi, 20. Ier. xiiii, 23. xv, 12. xxiii, 29. Baruch. III, 20. 12. Parui illi, quos diximus, quando fiunt sancti, Apoc. xi, 18. s. iusti, Matth. X, 41. quin immo quando tandem aliquando fiunt prophetæ (ibid. & 1. Paral. xvii, 22. Ps. CV, 15. Sap. vii, 27. Act. xiii, 1. 1. Ioh. II, 27.) tunc, sine animæ damno, in turba viuere possunt, si efflagitat necessitas. Semper enim Deum, qui eos roborat, intuentur. 1. Ioh. V, 18. III, 9. 6. 3. Ioh. II, 14. 9. 17. 1. Cor. xiii, 12. 2. Cor. III, 18.

§. XVI. Infantes in Christianismo omni modo euitant colloquia, etiam de sacris, cum mulierculis.

C

2. Tim.

2. Tim. III, 6. cognoscunt enim se debiles, nimiamque fiduciam, quam sibimetipsis habent, magnæ calamitati solere esse. Non prodiiissent Sæc. I. N. Testamenti tempore *Nicolaitæ*, quorum mentionem facit Apocal. c. II, 6. 15. si hoc consilium observassent. An, & in quantum Nicolaus huius detestandi criminis sit reus habendus, refertur merito a Criticis ad quæstiones haud fructuosas. Forsitan Nicolaus, vel qui ex ejus schola, relapsi sunt ad securitatem s. virium suarum fiduciam, & sic infirmati, non effugientes colloquia cum mulierculis etiam non adeo malis, (vt plurimorum est sententia) turpissimis sunt imbuti cupiditatibus. Sirach. XXII, 23. 24.

§. XVII. Mulier grauida, quando partus appropinquat, tristitiam sentit, Ioh. XVI, 21. nec potest discurrere. Ita illi, in quibus gratia Dei operans nondum enixa est fidem, tanquam victoriam de mundo, 1. Ioh. V, 4. Ies. XXXVII, 3. Gen. XXV, 22. ob grauissimam tristitiam, quam non ferre potest mundus, non adeo se debent mouere, quia facillime quædam amittuntur, quæ non sine magno agone recuperantur. Partu autem edito, mulier erigitur, vt hilari animo possit cum suis colloqui. Ex simili de dissimili esto iudicium! Luc. X, 7. Ies. XLII, 2. XXIX, 24. Vir sanctus, Elias, super Elischam, quem arantem offendit, successorem suum dignissimum, proiecit togam suam; cumque hic illum sequeretur, peteretque salutem dicere parentibus, ipsi non obstitit, 1. Reg. XIX, 20. sciuit enim eius animum iam tum satis roboratum. Idem & Christus obseruauit, qui habuit huic negotio aptum gladium, oculos acutos. Ies. XXX, 21. Apoc. I, 16. II, 12. Sap. VII, 29. 26.

§. XVIII. Inficias ire non possumus, hoc Christi mandatum, quo omnia iubet deserere, esse *ingum*, sed

com.

commodum ac leue, si modo homo humeros suos eidem subiiciat. Matth. XI, 29. 30. Pati debent homines hoc onus, quia *agendo* omnia deprauarunt. Non debent Christum substituere in sensu diuiso, quasi ipsis nihil sit perferendum, sed cum Christo se coniungere, ita vt mirabili flagrent cupiditate ferendi, quicquid maxime clemens Deus ipsis sufferendum iniungit. Separat se a merito Christi, qui se disiungit a iugo Christi. Christus reliquit patrem suum ad tempus, Ies. LXIV, 1. Ioh. XVI, 28. reliquit matrem, Cant. VIII, 1. cuius vbera semper est sugens, Ioh. I, 18. matrem, c. XIX, 25. id quod & nostrum est facere. Hoc onus non prosternit Christianum humi, quin potius eum expeditiorem reddit, vt possit salire instar cerui, Hab. IV, 16. 18. 19. Ps. XVIII, 34.

§. XIX. Huc atque illuc tergiuersabantur ad cœnam inuitati, Luc. XIV, 16. 20. quorum aliquis, v. 20. velamen torporis sui futuram putabat vxorem, quam duxerat, cum tamen detestari debuisset amorem, quo illi iusto addictior erat. Demonstrat Christus hoc exemplo, quam paucissimi matrimonium, vt symbolum peculiare unionis inter Christum & ecclesiam, intueantur. Eph. V, 23. 29. 30. 32. I. Cor. XI, 3. Plurimi in eodem viuunt tanquam carnis priuilegio, non resistentes peccato originali. Quid iuuant suspiria: *beatus, qui comedit panem in regno Dei!* Luc. XIV, 15. Voluntas inefficax, mere optatiua, s. velleitates, quas vocant, neminem liberum reddunt, sed plena voluntas. Quos pudet mendicare, c. XVI, 3. qui dicunt, quod non fodendi vim habeant, ibid. Iac. I, 5. etiamsi altergemant ad summam senectam, manent pueri centum annorum, & moriantur, Ies. LXV, 20. Cum tremore, Ps. II, 11. Ps. CXIX, 120. Phil. II, 12. quærenda est salus, tunc Christus homines liberabit ab iis, quæ eos detinent captiuos, Ps. CXXIV, 7. 8. & sibi discipulos faciet.

§. XX. Tam accurate Christus exprimit *conditionem subjecti* venturi ad eundem, loco, quem tractamus, & v. 27. 33. Matth. X, 37. 38. *ter* edisserens quod ille Christo *non dignus sit*, qui nolit omnibus suis nuntium remittere. Erravit itaque, Luc. XXIII, 5. turba furiosa, de Christo prædicans, quod commoueret populum, *factionemque* quæsiuerit. Errat adhuc hodie improba illa multitudo, quæ vnctos aggreditur huiusmodi voculis, ac si illi factionem, quæ ipsorum causam ageret, sibi conciliare studerent. Nullo pacto. Accuratissime enim describunt conditionem subjecti, contritionis indolem naturæ horribilem; etiamsi deinde addunt, quod inenarrabilis tranquillitas eam sequatur. Rom. V, 1-5. Sirach. IV, 18. 19. 20. 21. 22. c. Ll, 35. *Sequar te, quocumque abiueris*, dixit nonnemo ad Christum, Luc. IX, 57. 58. cui Christus: *non habet*, inquit, *filius hominis, ubi caput suum reclinat*. Ad huiusmodi præsumptionem, sui que præcipitem oblationem, Ioh. XIII, 37. & ad responsum, quæ datur iis, vide Ios. XXIV, 16. 24. 19. 20.

§. XXI. Magna opus est vi, si quis consequi vult nomen veri discipuli. Ad illud non habiles atque apti sunt *ἐνομιάζουσες*. Iud. v. 8. qui semper quasi *somniant* misericordiam diuinam, multa fantur de fauore Dei gratuito, non tamen vim adhibent illo dignam per preces, lacrymas & suspiria, magnæ confusionis malorum nondum conuicti. Peccata mortalia consistere posse cum statu gratiæ, venialibus non esse resistendum, quin immo salutare, ludere &c. prorsus esse licitum, arbitrantur, quæ & huius similia, ne quidem speciem habent pietatis. Col. II, 23. 2. Tim. III, 5. Matth. VI, 24. Prou. XXIII, 26. 27. Requiritur *βιασάι* Matth. XI, 12. vi ingenti ad se rapientes regnum Dei. Tertia iam hora est, in qua nos viuimus,

uimus, 1. Ioh. II, 18. 1. Cor. X, II. cuiusdimidium & supra effluxit, hora sub gratia. Duæ priores, quarum vnaquæque durauit bis mille annos, vna sine lege externe scripta, altera sub lege, (conf. ad illustrationem Apoc. VIII, 1. collato c. XX, 4) iam habuere suum finem. Quotnam autem heroes vixere in iisdem, qui omnes sunt exemplar, quod convertendus penitus debeat odisse vitam suam. Maiori iure, quam Paulus, Hebr. XII, 1. dicimus, quod nube testium simus circumducti & circumuallati. Vim ergo regno Dei faciendam esse Christus iubet. Hoc tempore Deus dedit coram nobis ianuam apertam Apoc. III, 8. 1. Cor. XVI, 9. Christus vult, vt cum vi penetremus in hanc, ruptis vinculis vinculorum, vt a Deo datam occasione in ne dimittamus, illam redimamus, *ἡ ἀγοράζομενοι*, Eph. V, 16. Quoniam nundinæ iam sunt, vult Christus ut primo diluculo surgamus, ac si velimus omnia emere, tum eius reddimur discipuli. Quando tempore quodam festivo a principibus in platea proiicitur moneta, vt rapiendi copiam quilibet nanciscatur, insipiens foret ille pauper, qui tunc cuperet videri homo cunctator.

§. XXII. Egrege huc faciunt verba, Deut. XXXIII, 9. *Qui dicit patri suo & matri sue: non video vos, & fratres suos non agnoscit, & filios suos non cognoscit, de huiusmodi hominibus est enuntiandum, quod custodiant sermones tuos, & feceris tuum seruent.* Hoc nihil aliud innuit quam odium, quod supra, ex iusto cautionis studio, designauimus. Deut. XIII, 6. 8. Zach. XIII, 3. Hieronymus quidem inde applicationem nimis hyperbolice fecit ad res suas exornandas; quam Lutherus non minore feruore retundit T. 3. in Gen. f. 133. a. hic ipse addit tamen: *res ipsa & doctrina est verissima, sed vide, vt sis bonus dialecticus, & recte distinguas inter primam & secundam tabulam &c.*

§. XXIII. Christus Ioh. XII, 32. 33. dicit: ego, si exaltatus fuero a terra, (cruci affixus) omnes ad me traham. Supponit autem v. 25. quod debeant *odisse animam suam in hoc mundo*, i. e. vitam animale, sensum profanum, in vitiorum huius sæculi vbertatem larvasque immersum, v. 31. Hæc *falsa* vita, hic mundi spiritus quiuis per mortem Christi est exterminandus, tunc Christus se suauiter vnit cum hominibus, XI, 52. VIII, 28. & XII, 26. dicit: *si quis ministraverit mihi* sc. initialiter, s. in quo Deus operatus est desiderium huiusmodi: volo meos humeros cruci Christi submittere, *illo sequatur me*, vere se substernat mihi, nam si vult erectus stare, vt statua, nec onera, quæ portat, deponere, non potest per angustam transire portam. Matth. XVI, 21. 23. XI, 29. Immo, *si quis ministraverit mihi* porro, ita vt abnegauerit se totum, illum honorabit pater meus, Apoc. III, 5. 12. 21. ll. 28. 1. Cor. IV, 5. Ioh. XV. 8.

§. XXIV. Indoles sane carnalis diuersimode se exerit. Inde a medicorum filiis constituuntur quatuor *Temperamenta*, quæ, *κατ' ἀντιθεσιν*, in sacris applicari solent: Cholericum, Melancholicum, Sanguineum & Phlegmaticum. Atque ita Christum secuturus intrepido animo his quatuor hostibus bellum inferat, nec prius bellare desistat, quam victor fuerit a Deo citatus. Per preces indefessas prosternat hostem, ad ambitionem ipsum allectantem, Apoc. III, 17. Iob. XVII, 14. Hof. XII, 8. 9. 1. Cor. III, 18. Prou. XXVII, 21. 1. Cor. IV, 8. ut reddatur *ἐγκομβωθεῖς* humilitatem, 1. Pet. V, 5. ea cinctus tanquam eleganti vestitu percellat hostem, qui ad auaritiam, Col. III, 5. Sirach. XL, 13. 1. Tim. VI, 10. Luc. XII, 19. VI, 24. Eph. V, 5. ad voluptates, ibid. Iob. XXI, 12. 13. 20. 24. Ies. V, 11. 22. LXV, 13. 14. Apoc. XXII, 15. XVIII, 7. Sir. XXI, 1. ad torporem Matth. XXI, 29. Exod.

Exod. IV. 10. ipsum inescat. Ita ipsi obuenerit id, quod expertus Abraham, cuius imiratus est vestigia, Rom. IV, 12. Huic nimirum, postquam *quatuor* hostes labefactarat, obuiam processit Malkizedek, Rex Schaleini, (sine patre & matre &c. i. e. cuius genealogiam nullibi recenset historia sacra, Hebr. VII, 3.) cum pane & vino, illi benedicens, Gen. xiv, 18. Et ipsi benedicet Malkizedek cælestis, subactis *quatuor* hostibus, ipsum confirmabit pane & vino. Ioh. VI, 50. 48. 51. 53. 54. seq. IV, 14. Jer. II, 13. Apoc. II, 17. 7. XXII, 14. XXI, 6. VII, 17. Cant. I, 14. II, 3. 4. 5. Prou. XXXI, 6. 7. 15. Zach. IX, 17. ita ut possit transire ex robore in robur, Ps. LXXXIV, 8. 1. Cor. XIV, 20, Eph. IV, 13. V, 27. Cant. IV, 7. tunc verus Christi est discipulus.

§ XXV. Vrbs Hierosolyma sancta describitur, Apoc. XXI, 10. ac v. 27. Spiritus testatur, quod non ingressuri sint in eam, qui non experti fuerint odium aduersus pollutiones, cuiuscunque hæ sint generis. Duodecim portas habere dicitur, v. 12. 13. ab oriente sunt portæ tres, quas intrant illi, qui in prima adolescentia s. ortu vitæ currunt ad Christum; a meridie portæ tres, quas intrant, qui in vitæ meridie s. iuuentute iuueniles concupiscentias fugiunt, 2. Tim. II, 22. ab occasu portæ tres; a septemtrione tres; illas intrant, qui in vespera vitæ suæ s. virili ætate, has, qui, in summa senectæ pulsus patris sentientes, vim faciunt regno cælorum, v. 25.

§. XXVI. Hanc gloriam pollicetur Christus omnibus illis, qui toti euitant *impedimenta*, a contritione animi auocantia, Matth. XIX, 29. 28. Quando filius hominis confidebit super throno gloriæ suæ, in regeneratione, Act. III, 19. 20. 21. illis, qui in regeneratione ipsum sunt secuti, distribuet præmia. Multa sunt, quæ homines sufflaminant in cursu recto, atque abripiunt ad præcipientia;

tia; inde per promiffiones illos excitat Chriftus, ne ab opere femel inchoato defiftant. Multum impediabantur Ifraelitæ, templum Hierofolymitanum ædificaturi; promulgato Cyri edicto ftrenue aggrediebantur opus, quorum cor Deus tetigerat, Efr. I, 2. 3. poft non ita multo illis obftant Samaritani, c. IV. Darius Hyftafpis illis fauebat, c. V. & VI. Xerxes, ne res conficeretur, obftitit. Id quod & fecit primum Artaxerxes Longimanus, poftea tamen, confilio mutato, dimifit Efdram, c. VII, vt negotium conficiendum curaret. Ipsi Iudæi, feigniores facti, inflammanur a prophetis, & fic, Dario Notho edictum renouante, tandem aliquando ædificatio poft multa interualla abfoluitur. Ita homo a DEO efficaciter vocatus ad negotium conuerfionis fubeundum, non titubet ac defperet, cum caro, dæmon, mundus ipfi aduerfantur, fed alacri animo per preces huic turri (Luc. XIV, 28.) ædificandæ fe accingat, negotium hoc ad finem deducet, quam poft multa interualla. Vna manu opus faciat, altera vero teneat miffilia contra infulum hoftium, gladio fuo accinctus fit fuper lumbis, atque fic, non parcens hofti, laborare perfeueret. Conf. Nehemias, in primis c. IV. II. 18.

§. XXVII. Quod fi autem quis, qui fe Chriftianum profiteretur, inueniens eft vitam fuam, *εὐζωὴν*, Matth. X, 39. (i. e. putat fe inueniffe viam, qua in Chriftianismo ita poftit viuere, vt effugiat diæteria improborum, immo mortem ipfam) perdet eam, & qui perdiderit eam, dicit Chriftus, *ἵνα κεν ἰδῶν, propter me*, quem fc. in corde gerit, *propter me*, vt me non amittat, (non dicit, propter conceptus de religione, quos in cerebro habet,) ille inueniet eam, v. 37. Atque ita Chriftus ab iis, qui ad eum veniunt, poftulat ita vitam odio profequi, vt & paratiffimi fint ad eam propter Chriftum deponendam.

§. XXVIII.

§. XXIIIX. Simon Magus, impostor Samaritanus, & Menander, negantes resurrectionem futuram, non diuexassent ecclesiam, nisi hæc Christi disciplina istis displicuisset. Ebion & Cerinthus non accessissent opinioni de carnali regno, si detestati fuissent dictamina animæ suæ. Non prodiisset monstrosa Manichæorum hæresis, si Manes & eius affectæ ita agnouissent miseriam naturæ, qua circumuallati homines, *ut gratia diuinæ in Christo Jesu inhiassent.* Arius, Photinus (cuius dogmata Lælius & Faustus Socini arripuere post tempora Reformationis) reipsa non agnoverunt, illud, quod caro sapit, contra Deum tendere. Quod ipsum de sequentium ætatum hæreticis deducere speciatim, communire bonorum virorum, Josephi Halli, aliorumque testimoniis possemus, si id huius esset loci. *Non sunt isti, Ignatius ad Tralianos scribit, plantatio Patris. Si enim essent, apparerent utique rami crucis. §. II. Et ad Smyrnæos: Patroni mortis magis, quam veritatis, quibus nec prophetia persuasere, nec Moysi lex, sed nec Euangelium in hunc usque diem, neque nostræ singulorum passionis. Nomina vero eorum, cum sint infidelia, non visum est mihi scribere: sed & absit a me, ut eorum mentionem faciam, donec resipiscant in passionem, que est nostra resurrectio. §. 5.*

§. XXIX. Cum autem, Christo testante, Marc. VII, 21. 22. ex corde prodeant ratiocinia mala, eo sæpe illa deducunt hominem, ut de ipsius Numinis existentia dubitet; etiamsi vero hæc cogitatio forte ad tempus exiguum dureret, & paroxysmus sit transiens, inde tamen videre est, quanto agone, quot lacrimis conuertendus increpare debeat vitam animalem, quæ hunc protruserit fœtum. Quod si homo sentit, se non immunem fuisse ab huiusmodi ratiocinio, magna certe humilitate accedet ad Christum, nec statuet, quod homo se conuertere possit ex vi-

ribus humanis. Iac. III, 11. Animalibus hominibus in toto vitæ actu leuior videtur formula illa abrenuntiationis in baptismo: *Entsageſt Du, dem Teufel, und allen ſeinen Weſen, und ſeinen Wercken?* Quo Chriſtiani olim expreſſe referebant pompas, & ſæculi ſpectacula. Quibus ſi quis etiam temere intertuerit, de his rebus aliisque non minus, ſub odio deinde ſui poenitentiali, ingentes motus perſentiet.

§. XXX. Homines *natura* defectum ſentientes operam dant ſedulo, vt malo quadantenus ſaltem medentur. Cæcutientes adhibent instrumenta optica; comam factitiam ii, quibus defluxere capilli; aquam, qui ſe commacularunt. At vero malum quod ipsis adiacet *ſpirituale* etiamſi cognoscant, non tamen ſibi de medicina volunt proſpicere. Heu cæcitatem! Miſeriam vero agnoſcens, & deſiderio Medici cæleſtis gemens, iam iam aſcendit in ſycomororum, vbi videbit ipſum Chriſtus, ei acclamaturus: *Zachæe, in domo tua manebo.* Luc. XIX, 4. 5.

§. XXXI. De agrotis ad lacum Bethesdam, Ioh. V, 3. dicitur, intimo deſiderio illos *expectaſſe* morum aquæ. illud & tibi faciendum eſt, ſi gratia Dei miſeriam agnouerit, & nunc omnibus caducis valedicere decreuerit. Deus non ſtatim te ſanat, quando & quomodo tu deſideras, expectat deſiderii tuæ ſalutis conſtantiam, patientiamque tuam exercet. Neque hoc iniuſtum: ſingulis enim diebus, per tot ſæpe annos, Deus vocat hominem, eiusque poenitentiam expectat. Cur non & tu aliquantisper expectares auxilium? cum eo certius illud tibi tandem ſit, quo diutius conſtantiam tuarum precum explorare voluit. conf. Rom. x, 21. Matth. XII, 40. Hoſ. VI, 2. Modo igitur ſis conſtans, & ne deſiſtas a clamando, nam *certiſſime veniet.* Hoſ. XII, 6. XI, 8. Prou. VIII, 31. Pf. XIII, 6. Admirabilis Dei eſt ſapientia, quod homines iubet
expe-

expectare, nam nisi diu expectassent, non adeo ipsis admirabile lumen Dei videretur. 1. Petr. II, 9. Si parentes tui, fratres, vxor &c. amici prisca ad statum pristinum te volunt reuocare, omne abiicias obsequium; expectes in Bethesda, ne veniat Deus, cum tu sis absens. Deus venit, *νατὰ ναζαρέθ, v. 4.* (conf. Exod. xxxii, 1.) & qui prius ingrediatur aquam, v. 4. sanatur, vigilantibus ergo iura. Hab. II, 1. Non sufficit, ex lacu hoc aquam haurire, & mox abire, sed confidere, expectare, flere, Ps. LVI, 9 ceu fecerunt Israelitæ apud fluuios Babelis. Ps. cxxxvii, 1. Act. III, 5. 12. 4. Ies. XLV, 11. Subordinatio voluntatis tuæ requiritur, expectatio, alias DEVS non potest opus suum perficere. Antequam positus es a DEO ante lacum Bethesda, operatus est in te DEVS non nihil, cui non omnino potuisti resistere, (scilicet quum tibi mentem iniecit, quod aliter sit viuendum) iam vero apud Bethesdam gratia DEI est resistibilis, ergo expecta. Luc. I, 53. Matth. V, 6. Hic constitutus est *Hercules* in biuio: falsa sapientia, Prou. vii, 10-23. & cælestis se ipsi sponsam offerunt, v. 1-5. 24. sq. Sap. viii. Sir. xiv, 22-27. xv. Ier. xxi, 8. actum est de te, si obedis byssinis verbis mulieris istius alienæ. Omnem mentem tuam in contemplatione suspensi Christi figas, tunc sanaberis, prout Israelitæ presterem aspicientes. Num. xxi, 8. Ioh. III, 14. Plagæ, quas tibi infligit Moses, patienter sunt perferendæ, tunc erit ille tibi pädagogus ad Christum. Gal. III, 24. Apud Bethesdam ventus spirabit vbi vuls, Ioh. III, 8. & vocem eius audies interne, dicentem, quod tu denuo sis generandus, v. 3. noli ratiocinari, quo pacto hoc possit fieri; sufficiat audiuisse vocem; acquiescas, sufficiat scire quod omne donum bonum sit desuper. Iac. I, 17. Credas, intellectum ita esse hebetem, vt non possit in spiritualium rerum subtilitatem

penetrare. Coh. XI, 5. Iob. XXVI, 14. XXXVIII, 24. Sap. VII, 12. Indignum temet censeas hoc vento; noli multa loqui cum aliis hominibus, nam facile in considerationibus huius venti, vocis, spiritus Ies. IV, 4. potes perturbari. Misericordiæ diuinæ te totum tradas, nec solus, tanquam solus, curras, Rom. IX, 16. tunc voluntatem tuam successus prosper consequetur.

§. XXXII. Deinde obserua, quod aqua fuerit turbata, *ἐνεργεῖται*: adumbratur per illud turbamentum, quisnam futurus sit initio status tuus, nimirum conturbatus. Tunc venient Zelotæ huius rei ignari, Rom. X, 2. tibi acclamaturi: Amice! nouimus te quondam hilarem, unde hæc tristitia? (nam illi ignorant, quid sit *tristitia secundum Deum*, 2. Cor. VII, 10. quam cor sentit sub Mose contritum.) Tu videris nobis, ac si velis per bona opera saluari; cum tamen ille anhelet meram gratiam DEI, interne persentiendam. Christus pro nobis, dicunt; sed ille: Christus etiam *in nobis* debet fieri *conspicuus*. I. Tim. III, 16. Gal. II, 19. 20. IV, 19. Col. 1, 27. Marc. III, 34. Externum DEI cultum obseruare, peccata enormia fugere, &c. sufficit homini DEVM visuro. Sed ille: obseruauit, inquit, has scripturæ sacræ iniquas explicationes; comedi has filiquas, Luc. XV, 16. quas edunt porci, sed vos non ita mihi dare potuistis filiquas, quibus famem potuerim sedare. *Oua aspidis apponitis, & telas araneæ texitis, qui comedunt de ouis vestris, moriuntur, tele vestræ non sunt ad vestem*, nam ingens vis frigoris semper mihi fuit sustinenda. Ies. LIX, 5, 6. Si hic conterit oua eorum, tunc vipera excluditur, i. e. tunc cum gemitu vociferantur, & cum maledictione: *num quis ex principibus aut Pharisis credit in hunc Iesum, quem ille homuncio profitetur? sed turba hæc, quæ legem ignorat, maledicta est*, Ioh. VII, 48. 49. Audio a grotorum ali-

aliquem querentem, v. 7. quod non habeat hominem
 focium, qui eius curam gerat. Ita tu non exoprabis sem-
 per solus esse, sed quærendi sunt fidi homines, qui pos-
 sint te per colloquia sancta constabilire, cum languidus
 es. *Væ illi, qui solus est, quando cadit, non enim presto est
 amicus, qui ipsum erigat.* Cohel. IV, 9. IO. II. 12. Iud. VII, 7. 9.
 10. Matth. XXI, 1. Ioh. XIX, 26. 27. At vero si solus es, remo-
 tus ab hominibus, quod certo tempore non debes negli-
 gere, caue solus sis, i. e. ora constanter, vt ne Deus te
 solum relinquat, nam Adam, cum cupiuit solus esse, nec
 respicere ad voluntatem Dei, lapsum commisit. vid. Ioh.
 VIII, 16. XVI, 32. Ps. LV, 7. 8. Act. II, 25. Hæc si probe ob-
 seruaueris, in fide tanges Christi ossa, & vitam recipies.
 (2. Reg. XIII, 21.) Tum læto vultu a Bethesda abibis, atque
 fructus contritionis salutare experieris, & volues, qui-
 nam contra hanc veritatem sint repugnantes.

§. XXXIII. Supra edisseruimus, quod hoc odium
 fit vehiculum, quo homo possit venire ad Dei fruitio-
 nem, cuius detrimentum totale fecerat in Adamo. Cum
 autem naturales homines nondum altos reprefferint
 spiritus, iustitia originali se non agnoscentes adeo spolia-
 tos, inde hoc odium sui indignabuntur. Et quoniam
 non videri volunt sine religione ac fide esse, substituunt
 aliam doctrinam, quæ *mateologia* potius est, quam Theo-
 logia vera. 1. Tim, I, 6. ita eorum fastus & ipsis & aliis est
 perniciosissimus. Quo si vero illo arguantur fastu, at-
 que alia quærunt, illis dominatur *arndia*, torpor, odium
 poenitentiale extimescentibus. Omnis spes consistit
 illis in huiusmodi hominibus, qui *ψευδάνυμον γυνῶν* ap-
 prehenderunt tanquam lætum nuntium, quo se & alios
 possint liberos pronuntiare ab odio sui rigide, ut aiunt,
 spectato. 1. Tim. VI, 20. 21. Ps. CXXI, 6. Ps. XXXI, 7. Ier.

XXIII, II. Coh. VII, 30. & sic a fide, tanquam a scopo, aberrarunt. 1. Tim. VI, 21. 2. Theff. II, II. typi istius Abaddon f. corruptoris, Apoc. IX, II. Ies. LIX, 14. 20. 1. Tim. VI, 14. Pf. LXXV, 8. 9. LXXIV, 18. 19. 20. Hoc pacto manent ἀποδιορίζοντες, Iud. v. 19. modo huc modo illuc a vero se & alios abstrahentes, Hebr. XII, 15. πνευματώδεις, Gal. IV, 29. non tantum non recipientes ea, quæ spiritus Dei sunt, sed & exhibilantes, quia iam tum eorum ingenium multis quæstionibus ineptis est refertum. 1. Cor. II, 14. 1. Ioh. IV, 5. 2. Theff. II, 10. Pf. XXXVI, 10. Qui eos sequuntur, sunt fanatici, in fanis s. templis saltem quærentes Deum & eius cultum, non autem in corde. Ier. VII, 3. 4. Hic *fanaticismus*, iure dictus, etiam attribui potest *Epicuræis*, quorum multi, quamvis vitiis sint obruti, externum cultum obseruant. Porro odio pœnitentiali in contrarium eunt Pseudo-Angelici, Col. II, 18. sublimiora s. angelica iactantes, it. Enthusiastæ, s. vt dicuntur a Theosophis, Anti-Cherubini, eo temeritatis procedentes, vt non venerentur Cherub ante hortum amoris diuini positum cum gladio, Gen. III, 24. sed irruant in mysteria Dei, nondum circumcisi corde, sed despicientes, vt dictum, gladium cherubinum.

§. XXXIV. Ex his, quæ persecuti sumus, lector, isque ἀδιδουεῖς & ἀνοπόμενός (Iac. III, 17.) perspicit, quod ineuitabilis poscat necessitas, vt saluandus odium pœnitentiale intra se experiatur. Hoc enim neglecto, nemo erit aptus ad quidquam digne gerendum, nec ultra progredi in Christianismi stadio potest. Huic veritati, intellectu primum arreptæ, accedat statim necesse est suppressio voluntatis; nam ni homo hoc a Deo per preces suminopere contendit, vt affectus voluntatis percellatur, etiamsi quoad intellectum insigniter videatur doctus, manet mendax. 1. Ioh. II, 4.

II, 4. Ioh. VII, 17. Iac. II, 19, 20. Fortem vero ac fidelem qui se gessit in hoc proœmiali stadio, in eo non persistere debet, sed vltro progredi ad *stantium*, quæ dicitur, *penitentiam*. Est enim peccatum originis fons in corde hominis impuras aquas indefinenter protrudens, quæ purgatione indefinente & quotidiana superandæ, ne vires hominem submergendi denuo acquirant. Progredimur ergo ad

CONSIDERATIONEM ODII

POENITENTIALIS

STANTIVM.

CAP. II.

Psal. XLV, 11. 12.

*Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam:
ut obliuiscaris populi tui, & domus patris
tui. Tunc delectabitur Rex pulchritudine
tua.*

§. I.

A Nima hæc, a qua postulat atque expectat sponsus odium vetustatis continuum, iam tum mortua opera, Hebr. vi, 1. debellauit, atque ita osculo recepta a sponso, Luc. xv, 20. facta est eius sponsa, Cant. iv, 9. 8. soror, ibid. v, 1. viii, 8. amica, I, 15. II, 2. 7. iv, 1. v. 2. vi, 3. Ioh. xv, 15. xi, 11. corona, Cant. III, 11. Ies. LXXII, 3. columba, Cant. II, 14. V, 2. Schulamit, i. e. filia pacis, VI, 12. VII, 1. filia spontanei s. spontaneo spiritu prædita, v. 2. in oppositione ad filium ancillæ s. ferui, qui ex feruili animo bona peragit, Gal. iv, 30. filius liberæ, v. 30. 31. filia

filia Hierosolymæ superioris, c. IV, 26. Cant. II, 7. filia Zion. c. III, 11. Ies. LXII, 11. virgo, Cant. I, 3. Matth. xxv, 1. 6. 7. *filia*, (ita vt Christus tanquam Pater consideretur. Ies. ix, 6.) Pf. XLV, 1. Ies. LX, 4. hortus clausus, scaturigo clausa, fons obsignatus, Cant. IV, 12. quem hortum non nisi ipse inuifit: & quæ sunt alia nomina animæ, in Christianismo *stantis*. 2. Theff. II, 15. Hebr. III, 14. Phil. IV, 1. Etiamfi vero anima ad amicitiam Christi accessit, nihilo minus quouis tempore facere debet bellum hostibus suis capitalibus, qui non animo æquo intuentur eius felicitatem

§. II. *Filia* peruenit ad montem Sion, ciuitatem Dei viui, N. T. Mediatorem, & sanguinem conserpionis, meliora loquentem quam Abelis, Hebr. XII, 18. 19. 22. 23. 24. ad præstantissimam hæreditatem, 1. Pet. I, 4. Cum vero peccatum quoad radicem in ea adhuc sit superstes, torporque in lucta contra inimicissimos huic gratiæ hostes eius animum sæpe afficiat, Christus ei acclamat: *Audi filia!* Eo momento quo anima a Deo reportat album calculum, Apoc. II, 17. clementiæ diuinæ, felicissimi diei *f. status*, notam, ingenti lætitia & robore acrius hostibus suis instat, Hof. XI, 1. at vero deinceps defatigata sæpe desiderat a lassitudine acquiescere, Marc. XIV, 41. Luc. XII, 37. 36. Sponsa, Cant. V, 2. dulcedinem ex communionem Christi peculiari modo sentiens, incepit dormire, cum vero clamasset sponsus: *audi filia!* primum quidem responsum dabat instar somnolentiæ, v. 3. Marc. IX, 5. 6. Luc. XI, 7. Pf. CXXXVI, 1. deinde vero resurrexit, prout illæ virgines, quæ etiam sopore pressæ obdormiuerant, Matth. XXV, 5. audita autem voce: *audite filiæ!* v. 6. surrexerant, v. 7. Christus porro dicit: *filia*, vide! *Filia* cupiebat forte rursus versari inter populum suum, & inter

co-

cognatos, atque ibi opus facere in vinea, prout antea confueuerat, sed sponsus hoc iam noluit illi permittere, dicens: *Obluiscaris populi tui, & domus patris tui.* Sentiebat sponsus, ficum quidem protrussisse grossos suos, Cant. II, 13. sed quoque adesse vulpes, vineam internam perdituras, v. 15. Adeo benigne sponsæ prospicit. Nam si illa nunc curæ sibi habuisset vineam externam, sc. vocationem secundariam, eadem illi querimonia instituenda fuisset, quæ legitur c. I, 6. *posuerunt me custodem vinearum,* officium quoddam mihi demandarunt, quo etiam functa sum, sed ita *vineam meam* propriam, scilicet vocationem primariam, non tam fideliter potui custodire. Ex quo simul nobis apertum fit, quod non indigne sit ferendum, si anima, fidem omnem in vocationis primariæ ad cælum procuracione declaratura, atque sic a maiori re abstracta, laborum ordinariorum ad tempus facit intercapedinem, Gen. II, 15.

§. III. Agnoscit sponsa, mores & sermones *cognatorum & populi sui* esse senticetum & vepretum, quo in cursu suo retardaretur, desideriumque, quo cupit liberari ab illo, hoc indicat suspirio: *Quis dabit mihi senticetum & vepretum, vt congregiar cum illo, irruerem in illud, atque igne consumerem!* Ies. XXVII, 4. Apoc. XVIII, 4. *Per domum patris & populum* conuersationem a patribus & populo traditam primario intelligi, euincit 1. Petr. I, 18. malum deinde omne, quod abducit a bono, quodque, tanquam infernus, omni studio euitandum, Rom. XII, 9. Pf. XV, 4. xxvi, 3. 4. 12. IV, 3. V, 10. Paulus exprimit ita, Gal. I, 4. quod fideles sint *crepti* e malo, in quo *presens seculum* viuit. Zach. III, 2. Sap. x, 1. 9. 19. Cum sancti debeant reperiri vt *populus peculiaris, meson*, Tit. II, 14. quem Christus sibi induerit, tanquam vestem, Ies.

XLIX, 18. vt populus versans circa Deum, & quæ Dei sunt, ea sane omnia, quæ obstant & impediunt, sunt remouenda, ne se denuo in laqueos induant. Iudas v. 23. tunicam quoque (*199*) a carne contaminatam in aliis (sicque etiam in nobis ipsis) nos iubet abominari. Non iubet detestari *creaturam*, sed malum atrocissimum, quod eam permeauit. Sancta tunica, s. gloria Dei, post lapsum omnes sunt spoliati, Gen. III, 7. Rom. III, 23. Ez. XVI, 6. omnes iubentur Christum induere, Rom. XIII, 14. Eph. IV, 24. Col. III, 10. tunicam illam fratris primogeniti, I. Cor. XV, 23. Hebr. II, 11. 12. Apoc. I, 5. qua cincti impetrant benedictionem. Gen. XXVII, 15. 22. 23.

§. IV. Sponsa dicit Cant. I, 13. Christus mihi est fasciculus *myrrhæ*. (secundum varia tertia comparationis.) His ergo & indicat, quod adhuc propensiones quasdam ex radice peccati sentiat, ad hos vel illos populi & domus patris sui mores. Christus vero cum ipsam admoneat, has subigere, dicit: Christus est mihi fasciculus myrrhæ, ex eius monitis natura mea sæpe numero experitur quandam amaritudinem. Immo & his edisserit, fasciculam myrrhæ magnam ipsi adferre vtilitatem, quoniam hæc myrrha tueatur animam, ne venenum illam possit corrumpere. Myrrha enim amara quidem est, nihilo minus tamen vel ideo seruat hominem, vt ne facile venenum ipsi noceat. Sub odio poenitentiali primo agnouit anima, quod in voluptatis regno virtus non possit consistere, inde commotiones in corpore, motus in sensibus, quos natura dicit suaues, precibus subiugauit. Amorem sponsi longe præfert dulcedini vini, Cant. I, 2. odoramentis, v. 3. consortiis pristinis, v. 4. & plena gaudii purissimi est, ibid. *memoriam* dulcedinum in Christo semper conseruans, ibid. haud raro tamen impetum in eam faciunt eius hostes feri ac im-

ac immanes. Deicit *inconstantiam* in bonis, avaritiam, invidiam, neglectum exercitii amoris, ambitionem, iram, sed ab his multo tempore adhuc tangitur & angitur. Hinc oriuntur lacrimæ, suspiria, certamina, [quæ sunt Chorus ille Mahanaim, Cant. VI, 12. Luc. XV, 25.] in quibus sæpe omnis euanescit sensus lætitiæ, vt alta voce clamet sponsa: Amice, tu mihi es *myrrhæ* fasciculus! Enim vero dum nouit, sponsum se saltem occultrasse post parietem, Cant. II, 9. & mox cum velocitate adfuturum in auxilium, c. VIII, 14. quin immo ex lacrimis, certaminibus magis ac magis augeri robur diuinum, dicit: de amo fasciculum *myrrhæ*, ac dies atque noctes eius ero *memor*. Iesus est animæ meæ voluptas, dicit sanctus, Iesus est ambitio mea, Iesus est avaritia mea! Anima est rosa Pf. XLV, 1. in valle, s. humilis est, Cant. II, 1. est & rosa inter spinas. v. 2. Per spinas non impii saltem, sed & ipsæ filiæ Hierosolymæ intelliguntur, a quibus sæpe sponsa, quando eas ad tempus relinquit, obrurbatur. Quando ita saucia amittit carbasum, c. V, 7. (i. e. quando custodes vrbs adiunt huic *carbasum*, ornamentum muliebre, in dubium vocantes eius *decus*, quod in circulo iustificationis reportauit, dicentes, eius, omne voluptatis exercitium in Christo quærentis, vias atque *ideas* esse *Platonicas*) tunc est rosa inter spinas, quemadmodum Christus in cruce erat rosa inter spinas, pendens inter duos latrones. Ita a cruce etiam externa affligitur, quam tamen nouit patienter esse tolerandam, Gal. VI, 17. Marc. X, 39. Ruth. II, 11. 12. quia Christi vestes sunt etiam aloë, myrrha, in quibus, ceu preiosis, consistit anima ad dextram Christi. Pf. XLV, 9. 10. Pf. LXIX, 23.

§. V. Non modo autem dicit sponsa, quod Christus ei sit fasciculus *myrrhæ*, conf. Luc. II, 35. sed & botrus Copher, s. reconciliationis, Cant. I, 14. Cum impii
E 2 & alii

& alii dicunt, quod eius viarum taedeat Deum, illa non perterrita, habeo, inquit, botrum Copher; Deus mihi est amicus. Aliis eam Pseudo-Angelicam nuncupantibus, occultus, inquit, cordis mei homo in incorruptibili statu (Eph. VI, 24. coll. 2. Pet. I, 4.) mansueti & tranquilli spiritus consistit, qui pretiosus est coram Deo, 1. Petr. III, 4. habeo botrum Copher. Hunc botrum sub strenuo exercitio odii poenitentialis ex favore DEI accipit, instar arrhæ; hunc botrum aspiciens nouit Canaan illam caelestem esse terram opiparam atque optimam, quia hic vnus eius fructus tantopere cor possit exhilarare. Deut. I, 25. Quamdiu ergo anima gustat botrum & mustum, cantare potest in terra alienigenae cantica Zionis; Ps. CXXXVII, 3, 4. nam hoc mustum est יִיבִיבִי virgines, cantare faciens eas. Zach. IX, 17. Ioan. XV, 1. 2. Sirac. LI, 20. Hoc pertinet ad pulcritudinem sponfae: Christus enim dicit: *obliuiscaris populi tui & domus patris tui, tunc delectabor pulcritudine tua*, qua nimirum coronaberis.

§. VI. Quanta haec est benedictio, qua gaudet anima odium sui experta? Omnis sapientia animae ante conuersionem reicitur a Deo, Habac. I, 13. postquam autem anima est sanata per carnem & sanguinem Christi, Ioan. VI, 53. egregios fructus dat, quibus Deus, Angeli, sancti delectantur. Quemadmodum terra est maledicta, & tamen Christus ex ea produxit medicinam, cum exspuisset in illam atque lutum fecisset ex sputo: Ioan. IX, 6. Ita se res habet cum anima ante regenerationem maledicta; cum homo bibit sanguinem Christi, eiusque carnem comedit, ex anima huiusmodi paratur medicina, qua & aliis vita datur. 1. Ioan. V, 16.

§. VII. Anima vero non semper dulcedines sentit in monte Thabor, Matth. XVII, 9. 22. Cant. II, 3. 4. 5. 6. sed saepe eum sponso ascendere debet in collem Golgotha, ad durissimas passiones exantlandas. Non cum carne & sanguine tantum in certamen descendit, (de quo iam egimus,) sed cum spiritibus malis, Eph. VI, 12. quanta haec sit ἀγῶνη contra diabolicas tentationes, experitur. Luc. XXII, 44. Tunc orare debet ἐκτενῶς, ita vt arcum suum probe intendat, ne arcus sit dolosus, ibid. & Hof. VII, 16. Ps. LXXXVIII, 58. Contemplatur ibi Iesum

cru-

crucifixum, morsus conscientiae sentiens, & haec contemplatio seu theoria, est vera theoria, Luc. XXIII, 48. nam immediate hunc producit effectum, vt anima militans pectus suum pulset cum suspiriis infinitis. Et sicut homo sub odio poenitentiali primo fuit talis theoreticus, a se & mundo ad Christum crucifixum respiciens, ita in odio sui quotidiano manet talis theoreticus. Antequam tali theoria cor eius repletur omni bono atque exsatiatur, diu expectare debet assiduis precibus, vt ne hostium nocentissimorum insidiis excidat e proprio stabilimento. Heb. X, 35. 36. 37. 2. Petr. III, 17. Multi sunt, qui tum sub hac lucta regulas medicinales transgrediuntur, dum a cibo, fopore se abstrahunt, lacrimis os totum sibi opplent, &c. Heb. V, 7. sed praestat, claudum, aut mutilum, aut oculo per lacrimas corrupto intrare in regnum caelorum, quam vigorem naturalem retinere, & in ignem mitti. Gen. XXXII, 31. 28. Sed veniet animae & corporis medicus, Exod. XV, 26. mittet angelum cum botro, quo corroborabuntur, Luc. XXII, 43. Sancta Trinitas clamabit: date siceram s. botrum Copher pereunti, & vinum iis, qui amaritudines sentiunt in anima, & cruciatibus hostium fortiter resistunt, vt eorum quilibet bibat, & obliuiscatur paupertatis suae, s. status miseriae plenissimi, nec amplius recorder laboris sui in lucta, in qua vsque ad sanguinem contra peccatum repugnauit. Prou. XXXI, 6. 7. Hebr. XII, 4.

§. VIII. Magni itaque laboris est, obliuisci eorum, quae retro sunt, eorum, quae sub odio primo vicimus, & quae nos denuo afficiunt, atque in eo, quod antrorsum, impetrando omnem curam atque operam ponere, nimirum in praemio, quod vocatio primaria militibus pollicetur. Phil. III, 13. 14. Gustus huius praemii inchoatus in hac vita est plenitudo scientiae, est consummatio gratiae, & perpetuitas vitae. Ad huius vero plenitudinem opus est potius intima compunctione, quam profunda inuestigatione; suspiriis, quam argumentis; lamentationibus, quam conclusionibus; lacrimis, quam sententiis, oratione, quam lectione! Verba sunt praefixa libro: Amoris Diuini Occultae Semitae Auct. Barbanson. Ad hanc duram militiam acciti sunt homines sub N. T. viuentes, finita illa, quae sine & sub lege durauit. Ies. XL, 2. Noui foederis tempora dicuntur dies, & V. T. nox. Rom. XIII, 12.

Cum vero dies spiritualis sit, luctus etiam fiunt & facti sunt magis spirituales atque internæ; quæ in V. T. externis cum gentilibus, indefinenter libertatem populi Dei prementibus, bellis adumbratæ sunt. In N. vero T. ubi maior gratia & lux, Rom. V, 17. eo maiores fuere semper persecutiones, tam externæ quam internæ, militibus Iesu Christi perferendæ. Ioan. XVII, 15. Paulus 1 Cor. X, 11. dicit ea, quæ euenire Israëlitis in deserto, esse nobis in typum scripta, ut tot millium hominum in lucta *non perstantium* cædes cautos nos faciat, atque nos, fideliter contra humanas & diabolicas tentationes dimicantes, cum Calebo & Iosua intremus Canaan cælestem. Causa quidem princeps, quamobrem N. T. tempora dicuntur dies, est, quod Christus, Sol iustitiæ, Mal. IV, 2. in iisdem est conspicuus factus, & T. V. nox, quia Christus in carne nondum erat exhibitus. Sed prout in nocte comparent stellæ, ita in V. T. fuere tot milites, acerrimas & fortissimas suas cupiditates imminuentes & delibantes, qui, instar stellarum, micuerunt, sicut Dauid, Ps. LXXVIII, 14. restatur, quod *in acie* spirituali constituti, *splendorem emisserint, sicut ala columbæ obductæ argento & stauedine auri.* Quanto maiori iure id de militibus N. T. in die & maiori luce dimicantibus, dicendum? Agnouerunt quoque multi quod eo magis dies & gratiæ lumen possit illucescere, atque in eorum cordibus lucifer exoriri, 2. Petr. I, 19. quo durior ipsis constituta sit dimicatio. Quapropter vitam suam adeo *non dilexerunt*, ut eam pro Christo dimiserint animo lubenti, quo nempe eo citius æternæ gloriæ compotes redderentur.

§. IX. Quanta cum lætitia martyrii palmam accepere Apostoli, & Viri Apostolici, Clemens Romanus, Simeon Cleophas, Ignarius, Polycarpus, & feminae illustres, Perpetua & Felicitas. Sixtus, Laurentius, Fructuosus, Augurius, Eulogius, Husus, Hieronymus & utriusque sexus plurimi magno animo propter Christum sunt necati, ut Historia Ecclesiastica testatur. Stupendos cruciatus non pertulissent, non vicissent, si adhuc pasti & delectati fuissent moribus & persuasoriis *populi sui & domus patris sui.* Ecce egregium odii poenitentialis fructum! Multos ingens tenuit auaritia martyrii, ut illud ultro expetendum fuerint professi. Hos, tantum vero abest, ut omnes da-

mne-

mnemus, qui se ipsos obtulerunt Paganis, vt potius asseramus, multos, peculiari quodam instinctu diuino actos, se exhibuisse trucidandos. Multos, qui se proiecerunt vltro sibus, non expuro principio erga Deum, in ipsis tormentis a Deo esse purgatos, nobis firmiter persuademus. Hoc præterea, ducente Scriptura S. ponimus, quod homines se indignos martyrii coronæ debuissent censere, atque expectare tempus a Deo ipsis constitutum. Matth. XIV, 12. 13. X, 23.

§. X. Contra triste exemplum damni, ex odii pœnitentialis neglectu oriundi, sistunt nobis, qui in Historia Ecclesiastica dicuntur *Libellatici & Sacrificati*. Hi, si odio habuissent vitam suam; si oblitii fuissent populi sui & domus patris sui, insatiabili gaudio completi propter gloriam instantem, gentilitiis sacrificiis manus non admouissent. Ex odii istius exercitio omisso *Libellatici* numerarunt magistratui avarissimo pecuniam, ne sacrificare aut fidei renunciare adigerentur, propterea libellum a magistratu accepisse, ut tuti essent ab insultu, a plurimis perhibentur. Ex his nobis sit perspicuum, quod quilibet sibi admonitionem Pauli debeat habere commendatissimam: 1 Cor. X, 12. qui sibi videtur stare, s. qui se annumerat iis, qui in Christianissimo stantes dicuntur, ille probe videto, ne cadat, alias contigit illi, quod Scriptura habet: 2. Petr. II, 22. sus lota reuerfa ad cœni volutabrum.

§. XI. Vberrimi & latissimi fructus, resultantis ex constanti odii pœnitentialis exercitio, aliud ponamus documentum, quod rem faciet apertiore. Historia Ecclesiast. eximie collaudat *Ascetas*, s. Philosophos iure optimo ita dictos, quod oblitii fuerint populi sui &c. vt diligentiam possent omnem conferre ad res diuinas, & cum Deo versari. Paulus Thebanus, (quem vitæ anachoreticæ auctorem putant scriptores) Antonius, Hilarion, & plurimi alii in Syria & Palæstina, vitam in eremo exegerunt, qui vitam hanc suo tempore salutis suæ conuenire maxime censuerunt.

§. XII. Qui diligenter etiam atque etiam faciunt id quod Paulus commendat, 1. Tim. VI, 12. ac *bonum certamen certant*, sub odio sui quotidiano, ad huiusmodi statum gaudii plenissimum perueniunt, vt possint edisserere cum Paulo: *nihil nos ab amoris*

amore Dei (neque passiuo neque actiuo, Ioan. XV, 9. 4.) *segregabit.* *Non mors naturalis* Ioan. V, 24. nam hæc saltem molestia medicinalis est; *non mors spiriualis*, nam semen Dei in sanctis manet; 1 Ioan. III, 9. 3. Ioan. V, 11. *neque æterna* nam hæc supponit eius dominium vsque ad terminum vitæ; *non vita*: neque miserima, namque a Deo exsaturantur, neque honestissima; Phil. IV, 12. 1. Cor. IV, 10. 11. *non angelus*: 1. Ioan. V, 18. qui primos parentes defraudauit; *non principatus*; Act. IV, 19. *non potentia*; Ioan. X, 28. 29. *non presentio*, sc. tristitia; (nam tunc Paulus Romæ coniectus erat in captiuitatem,) *non futura* s. tristitia; 1 Cor. IV, 9. 12. 13. *non altitudo*; *non profunditas*; (etiamsi ecclesia summo opere suspiciatur aut despiciatur,) 2. Cor. VI, 8. *neque ulla creatura alia*; 1. Cor. VI, 12. nos collabefactabunt. Rom. VIII, 38. 39. 35. 2. Pet. 1, 10. Cant. VIII, 6. 7.

§. XIII. Christus Ioan. XIV, 6. dicitur *via* s. *scala* Gen. XXVIII, 12. Ioan. I, 51. Si homo per gradus ascendit in turrim situ editam, caute ascendit; non respicit retro, Phil. III, 13. 14. ne vertigine labatur. Ita Christianus, per hanc scalam tendens ad cælum, non respicit ad ea, quæ in sua domo, Matth. XXIV, 17. nam facile desiderio posset ferri in ea, & sic actum de eo foret. Per scalam ascendens quo magis peruenit ad apicem turris, eo minora ei videntur omnia ea, quæ sunt in terra, homines, domus, &c. Ita Christianus certissimam habet notam, se longe hac in scala esse prouectum, si ea, quæ sæculum habet, inuira-menta & lenocinia, ipsi parua comparent ac leuiora. Et quemadmodum per scalam ascendens ad turrim obnoxius est vento vehementiori: ita & hoc Christiano euenit; quo magis proficiet, eo maiores ipsi vexationes imminebunt. Rom. VIII, 18. Digne se præparat ad sabbatum instans; purgat se indefesso studio, 1. Ioan. III, 3. lauat se per sex dies hebdomadis ex sex hydrijs, Ioan. II, 6. i. e. odium pœnitentiale quotidie exercet, & sic in atrio bene præparatus intrabit triclinium die sabbati s. septimo. Marc. IX, 1. 2. Væ Ierichunti, quando die septimo audietur buccinarum sonus! Ios. VI, 3. 4. 5. 15. 16. 20. Apoc. XVIII, 2. Bene autem illo die Zioni erit, qui sub Iehoschua

militatum abiit; in perpetuum cantabit

Malelu-Iah!

AD



AD
A V C T O R E M
DISSERTATIONIS
EPISTOLA PROPEMPTICA
PRÆSIDIS,

De primis principiis doctrinæ ex Luc. XIV, 26.
& manantibus inde consequentiis.

* * *

QUæ ipse elegisti tractanda, & consignasti, SCHAEFFERE DOCTISSIME, perlegi; videsque, quam pauca sint, quæ vel mutavi in tuis, vel de meis adscripti. Debebam enim me continere in rebus ipsis, quas adprobo, iustrandis; debebam etiam tibi auctori æquale relinquere tuum scribendi genus.

Res certe ipsa est tanti, ut ea non modo te tuaque studia commendet bonis, sed vnumquemque etiam, qui curam salutis suæ habet, fringat, ne præter propter, ut ille ait, ætatem agi posse vllus sibi persuadeat.

Si tamen, quod tu quidem visus es velle, addendum quicquam tuis est: en accipe, quæ, dante DEO, sub manu velut nata mihi sunt, DOCTRINAM CHRISTI *ex primo*, quem in

F

con-

conspetu habuisti, *textu* respicientia maxime; quæque ad nexum rei melius capiendum, certis positionibus, numerisque distinguere visum fuit.

I. CHRISTVS IESVS ille est *Magister*, ad quem venire omnes necesse habent, tanquam *discipuli*, v. 26. 27. 33. & quidem tanquam candidati *vite* alterius, *renunciaturi omnibus suis* in hac vita. v. 26. 33.

Ergo Christus sub eo etiam, quo Magister eiusmodi est, Saluator est & Dominus humani generis, Sacerdos, Propheta, Rex, non *Ἰησοῦς* & *Χριστός*. Joh. I, 18. 38. 49. XIII, 3. 13. XIV, 6. XX, 17. 28. Matth XXII, 42. 43. XXIII, 8. 10. XXVI, 18. Ec. XLIV, 5. LII, 6. Sap. IX, 19. X, 1. conferri possunt obseruationes de *conuersione Samaritanorum*. §. 13. 53. 47. & c.

Nisi enim foret arctissime vnitus cum Deo, non possent ad eum ablegari omnes, qui vitam cupiunt habere *eternam*, ita quidem, vt hanc *fide in IPSVM* euincant, Joh. III, 2. 13. 18. 36. Matth. XVII, 5. vtque etiam propter eum omnibus, quæ interueniant, renuncient. Luc. IX, 35. 20. 48. 62. Ponderentur omnino argumenta, quæ hanc in rem congescit honorandus collega, Franckius, in libello, CHRISTVS der Kern Heil. Schrift, §. 53. seq. post Chryostomum hom. 36. in Matth.

II. Tanti Magistri doctrina & disciplina non potest vllō modo *dependere* ab adprobatione, affectu, consensu aut respectu *patris, matris, uxoris, liberorum, fratrum, sororum*, vel etiam *sue* cuiusque *animæ*, (sensitiuæ vel rationalis), quia certe hac ratione non possent doctrina seu disciplina esse vel manere *pura*, & ad obtinendum finem *supernaturalem* idonea. v. 26. 33. 24. Respectus vero *patris, matris, uxoris, liberorum, fratrum, sororum, viteque* suæ animalis, qua talis, est tantum *naturalis*.

Quodsi ergo nostrates vel alii auocare velint animas, quas Pater ille summus in cælis ad filium suum & æterna trahit desideria, (Joh. VI, 44. 45.) tunc ipsi sunt in culpa, ne in his audiantur, sed ipsi potius dimittantur in his & reiciantur. Act. IV, 19. Prou. XIII, 5. Deut. XXXIII, 8. sq.

Vel

Vel inde tamen doctrina Christiana dignoscitur esse *pu-
ra*, quia & omnes respectus *heterogeneos*, diuino suo remouet
charactere, & contra lapsum adæquata proponit remedia. Deut.
c. I. Joh. I, 12. 13. 29. 47.

III. Maximum vero oportet esse *lappum* humani generis,
quia opus est eiusmodi fortibus remediis ad id inde *reuocan-
dum*, SOLIque Deo patri suo *reddendum*; adeoque res summe
ardua est, *venire ad Christum*. v. 25-28-31-34. Joan XVII, 6-11.
Ef. XLIII, 18. 22-24-27. Isidorus Clarius, l. n. ad verbum *uirtu-
vide*, *quanti sit discipulum esse Christi, & Christianam philosophi-
am profiteri*? quis igitur, si absque hoc serio nisu & obsequio
fit, se Deum *amare* dicat, se Christum & salutem suam dili-
gere sibi persuadeat? 1. Cor. XII, 3. XVI, 22. Pf. II, 12. XCVII,
10.

IV. Omnes hinc IESVS CHRISTVS serio vult *ad se ve-
nire*; sed venire illud non est, *turbam adcurrere promiscue*, ne-
dum est id, *patrem & matrem deserere externe*, absque respe-
ctu *ordinis aut pacti gratie*. Igitur cum dixisset non nemo ex
hospitibus: *beatus, qui manducabit panem in regno Dei, & turbe
multæ irent cum eo*, conuersus Dominus dixit ad illos: *si quis
venit ad me, & non odit &c.* v. 15-25-35. conferatur *venire*
v. 26. cum *venire* post Ipsum v. 27. & *venire* v. 34. cum
XV, 1. 4. 8-20-24-32. & cap. subsequ. XVI, 1-16-
25-31. XIII, 24-26. nec non de necessitate, qua *veniunt scan-
dala*. XVII, 1-5. vt dicerent Apostoli Domino: *Adauge nobis
fidem &c.*

Nemo ergo excluditur absolute, quia Christus vel mur-
murantibus Phariseis Scribisque recipiebat publicanos & pec-
catores. XV, 1. sq. Ezech. XXXIV, 4. 21. 1. Cor. XII, 23. 2. Cor.
II, 11. Gal. VI, 1. sed non sufficit aliquis *motus*, aut *velleitas*. Joh.
VI, 37-44 60 67. sq. ne inspiratæ ex verbo cogitationes bonæ
mox in fumum abeant.

V. In doctrina nihilominus, & disciplina IESV CHRI-
STI, tantum promittitur atque porrigitur *roboris* diuini, cæ-
lestisque *efficaciæ*, pacis, lucis, dulcedinis, vt dignosci & supe-
rari

rari *queant* omnia obstacula conuersionis. Probatur, præter ea, quæ allata iam sunt, ex Joh. VI, 68. Luc. XI, 1-13. 22. 33-36. XVIII, 26. 27-30. Ef. XLV, 18. 19. 22. XLVIII, 17. Sap. VI, 17. seq. IX, 19. X, 1. Pf. XXVI, 3. 6.

Id circo cum aperiundum esset *Nouum Testamentum*, dextram dabat Magister diuinus, dicens: *quia impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, penitentiam agite, & credite euangelio.* Marc. I, 15. Matth. IX, 13. Et exaltatus est Vindex noster, postquam fecit purgationem peccatorum nostrorum per semet Ipsum, dextra Dei *ad dandam penitentiam* Israel, & ablationem peccatorum. Act. V, 31. Ebr. I, 3. 13. *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Luc. I, 71. 1. Cor. XV, 56.

Sane in ipso limine gratiæ tantam Saluator abnegationem non sibi deposceret, nisi is ipse *vires* gratiæ paratas simul adferret ad abnegandum.

VI. *Exempla* quoque abnegationis sistuntur in doctrina Christiana, & præfiguntur ea, quæ nullam relinquunt suspicionem *odii hostilis, aut personalis.*

Quis enim *Patrem, Matrem, Vxorem, liberos, fratres, sorores*, qua tales, velle haberi odio, de quoquam doctore & magistro *presumat* vel credat?

Ergo secundum regulas æquitatis & sanæ interpretationis manendum in *substrata materia*, nec non intra limites & respectum, qui loci huius est.

Ergo solum iniungitur odium *adhesionis carnalis*, odium reale τὸ ὁμοπαθῶν, odium abstractionis a Christo, etiam blandæ, odium auaritiæ, odium *uiuorum familie*, quæ inueterata sæpe sunt, & quasi transplantantur &c. saluis ita officiis reliquis.

Ergo eiusmodi dicta, si videntur ἁδοξία, non sunt referenda ad ἁδοξία temeraria, incommoda, turbulenta, aut adfectata, & iure odiosa, sed ad *opportuna*, facile intelligenda, & sæpe *necessaria* in rebus *seriis*, serio & quasi βίαιως efficiendis.

Præ-

*Præparatio etiam postulati eiusdem iam facta erat in libris V.T. ipsis in locis de Messia agentibus. Deut. XXXIII, 8. 9. Zach. XIII, 3. Notum insuper erat præscriptum Saluatoris de diligendis inimicis, maledicentibus, odio habentibus &c. Luc. VI, 27. seq. Inde (ne dicam quid de linguarum ratione tum peculiari in hoc loquendi modo,) merito cessat omne præiudicium *μισανθρωπίας, ἀσπογίας, μισογονίας*, Stoicæ ἀπυθείας, ruditatis, factionis, temerariæ oppositionis, separationis aut elationis, & quæ sunt hujus generis iniqua alia, profus intoleranda.*

VII. Eadem tamen hæc *exempla* abnegationis abscedunt omnino hoc ipso *omnes exceptiones*, ne vlla valere queat alia excusatio, mora, reseruatio, ficta pietas vel modestia, aut quicumque *titulus*. Quod si enim euanescit *Pater, Mater, Vxor, Liberi, Fratres, Sorores*, coram arca fœderis: quid fiet de effugiis aliis? v. 33. 26. Malach. III, 2. 3. Itaque nos ex hoc *neminem* nouimus *secundum carnem*. Et si cognouimus **CHRISTVM secundum carnem**: sed nunc iam non nouimus, 2Cor. V, 16. Gal. VI, 15. 12. Luc. II, 34. 49. 51. VIII, 19. 20. 21. XI, 27. 28. XII, 51. seq. IX, 49. 62. Matth. XVI, 23. Marc. V, 18. 19. I, 20. 38. Adeo voluit Dominus refecare cuncta *diuertacula*, quæ imminere sensit. Nec Dominus de *Patre, Matre &c.* dixisset, nisi aduertisset in populo, & præuidisset eiusmodi *interruptiones motuum* spiritualium, tergiversationes, molitiones Politico-Pharisaicas, mutabilem genium, fictas *dependentias*, *piis* scilicet hisce *titulis* innixuras, tanquam *legibus obstantibus*. Dantur etiam casus, vbi ipsa *externa desertione*, saltem ad tempus opus est.

XIII. Respectus vero iste *Patris Matris*, &c. qui opponitur Christi verbo, tanquam exceptio *pietatis* causa (si, quod res est, dicendum,) apud vnum quemque resoluitur simul in *semet ipsam*, siue in *sui ipsius* intuitum, sub eiusmodi laruis & coloribus valde speciosis. Id quod Christus non modo per illud *ἐαυτῶ*, Patri & Matri adpositum, tecte inuit, v. 26, sed clarius adhuc exprimit in ultimo membro op-

positionis, ἔτι δὲ καὶ τὴν EATTOR ψυχὴν, ibidem v. 26. & v. 33. πᾶσι τοῖς EATTOR υπάχθων. Possit quis forte deserere Patrem & Patriam: sed non deserere suam ipsius voluntatem, ob regnum cælorum.

Quando ergo Saluator poscit odium Patris, Matris &c. reuera poscit odium *mei ipsius*, animi *mei* variabilis, *mei* latibuli, *mei* effugii, *mei* prætextus, huiusque sæpe verbis Scripturæ infucati, affectus *mei*, qui subest, *meæ* fiduciæ & iustitiæ, *mei* Pharisaismi innati, *meæ* ἀπιστίας, verbo, amoris *mei*, hostis iam naturaliter perueratissimi, atque simul astutissimi & malitiosissimi. Joh. XII, 25. 1. Cor. XI, 31. IV, 21. 20. Luc. XIII, 1. 3. 5.

Ἀπαυτῆ σε γὰρ ὁ Κύριος, ἵνα ἀργισθῆς Σεαυτῶ, καὶ μάχην ποιήσῃς μετὰ τῶ νόος σε, μήτε συμφωνήσῃς, μήτε συνήδυνθῆς πρὸς λογισμοῖς τῆς κακίας. Hoc enim deposcit Dominus, ut TIBI IPSE irascaris, & pugnam facias cum mente tua, neque concinas aut consuaueris ratiociniis malitiæ. Macar. hom. III. §. 3. Θεργίζονται τὰς κακίαις ἐπιθυμίας (οἱ φρόνιμοι) καὶ ἐχθροὶ ἑαυτῶν γίνονται. Irascuntur (qui sapiunt) pravis cupiditatibus, hostesque SUI IPSORUM euadunt. Idem hom. XV. §. 51. 35. 42. conf. hom. XXXII. §. 7. & illud ἀποδιώξῃ Coloss. III, 8. in græca vulgari. Clarum vero est, quod ex vero odio sui nascatur *commiseratio* in sui similes, aliosque. c. I, v. 5. 12. sq. Tit. III, 3. sq.

IX. Immo odium nostræ corruptionis acète cohæret cum lege illa odii *contra serpentem*, ut odium omne redundet proprie aduersus venenum serpentis in natura nostra lapsa.

Atque inde, credo, tanquam ab ovo, repetenda vera expositio odii, quod dicitur, *pœnitentialis*, quia cum pœnitentibus Protoplasti, reuocati hi voce, seu λόγῳ Domini in hortu, audiebant sententiam, serpenti *seductori* latam coram ipsis, tanquam *seductis*. Eamque sententiam audire tenebantur miseri, velut edictum peremptorium Domini, viam restaurandi humani generis respiciens. INIMICITIAM (loco infauitæ illius amicitie & collusionis) ponam inter te & inter mulierem & inter semen tuum, & inter semen eius: hoc ipsum conte-

ret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Gen. III, 15. Edictum hocce haud dubie est fundamentum causæ totius. Inter hoste anfractus, totque multiformes species serpentinas, tanquam angustias, constituto homini seducto, perrumpendum esse *in fide Filii Dei* (qui dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis; qui in hoc apparuit, *ut soluat opera diaboli*, 1. Joh. III, 8) totius delineat Scripturæ ductus. Ideo *Spiritus Dei*, Spiritus iudicii, tam enixe vsque ad diluuiam *contendit* tum cum *carne*, quæ deprauarat vias suas, secundum spiritus Cainici mundana *principia & dogmata* carni blandientia. Gen. VI, 3.

177 Judæ v. II. 14. 23.

Inde scilicet resultat iustum immo necessarium odium feminis serpentini, quo, proh dolor! homo lapsus vndiquaque incinctus est & circumdatus; sub quacunque id forma & vnicunque se exerat, miserum hominem proiciens modo in *ignem*, modo in *aquas*, ab vno extremo ad alterum. Marc. IX, 22. 29.

Hoc simul sub iure belli diuino immutabili, data humano generi promissio benedicti feminis immaculati, modusque hominis sub cruce redimendi, digne Dei & iustitia & misericordia & sapientia insinuat fuit. Ef. IX, 7. 6.

Ita nimirum retro pellendum virus, quod inflauit attingis. Ita vindicanda in hostem Spiritum illata nobis damna, *ex iusto dolore*, iustaque etiam ratione procedendi. Joh. XII, 25 31. sq. III, 6. 14. 15. Num. XXI, 8. XII, 9. Ut ex parte nostra *vindicta formaliter sit IN POENITENTIA*, quia fit perpetua *mortificatione vetustatis*. Verba sunt ipsissima apologiæ A. C. p. 192. (286. 95. 173. 134.)

Ex quo enim transgressus est Adam *mandatum*, subintravit *serpens*, dominusque factus est *domus*, & velut altera anima cum ANIMA. Dicit hinc Dominus: *quicumque non abnegauerit SE IPSVM, & qui non oderit suam IPSIVS ANIMAM*, non est *meus discipulus*, & qui diligit suam *IPSIVS animam*, perdet eam. Siquidem peccatum, postquam subintravit animam, membrum eius factum est, ipsique corporeo homini *adheret*, ac *scaturiens*

riunt inde multa atque impura ratiocinia in corde. Quocirca qui facit voluntatem animæ suæ, voluntatem CORDIS facit; quoniam complicata & commixta est anima. Qui igitur submittit ordinem animam suam, & SVCCENSET cupiditatibus suis, sibi coherentibus, perinde se habet, ac qui urbem hostium suorum subiugat: hicque dignus fit ingredi in urbem bona spiritus &c. Marcar. hom. 15. §. 35. 51. Quæ verba vel ideo locum hic merentur, quia consonant cum parabola Christi de bello Regis aduersus alium Regem, in contextu nostro, v. 31. quod Princeps huius mundi eici aliter non potest, quam renunciando huic mundo, v. 33. coll. 26. conf. adhuc omnino hom. 17. §. 15. hom. 18. §. 8. hom. 37. §. 1. 2. & Apoc. XII, 7-9-11-17. XVII, 14. IX, 11. 4. Eph. VI, 12. 11, 2.

X. Non potest fundamentum hoc expendi satis, quin semper pateat animo magis magisque sanctionis huius diuina Sanctitas, qua verbum Dei hoc pacto inuertit machinam serpentis, Deusque Vindex noster, tactus miseria mentium deceptarum, comminatur auctori technæ operationem contrariam, vt ex anima hominis exturbetur fauor occulti hostis, detecto damno, propositaque e diametro salute noua, & dissipentur semina inimicitiae, quæ contra Deum sparsit Satan in cor hominis; contra ea vero Zelus diuinus excitetur aduersus dulce venenum Satanæ, sub cruce & Spiritu iudicii, ex doloris plena recordatione, iugique memoria primæ malorum scaturiginis, ac methodi seductionis pristinæ; sicque aperiantur oculi, vt conuertantur de potestate (& mendacis) Satane ad DEVM non fallentem. Actor. XXVI, 18. coll. Genes. III, 5.

Aut putatis, quod inaniter Scriptura dicat (de hac ἀναζηλο-
Φροσύνη) ad inuidiam concupiscere Spiritum, habitantem in vobis?
vel nescitis, quod AMICITIA huius mundi inimica est DEI?
Subditi ergo estote DEO: RESISTITE autem Diabolo. Jac. IV,
1-4-7. Gal. V, 17. idque vsque ad sanguinem, aduersus peccatum ἀναγωνίζεσθε. Ebr. XII, 4. ad ἀναλογίαν contradictionum,
quas perculit Dux & Consummator fidei JESVS v. 3. 2. 1. ma-
tatus

status etiam *ab origine mundi*. Apoc. XIII, 8. Euolui hanc in rem possunt plura scripturæ loca, vt Gen. XLIX, 6. 7. 17. 18. Num. XXV, 13. 18. XXXI, 15. seq. 1. Reg. XXI, 20. 2. Chron. XIX, 1-4. seq. Ps. VI, 9. LXIX, 11. XCIV, 16. 20. CXXXIX, 21-23. Coh. VII, 27. Mich. VII, 5. 6. Sir. IV, 30. gr. seq. VII, 28. gr. seq. XXI, 2. 3. 4. XXV, 21-34. XXXIII, 26. L, 27. 28. Cant. VIII, 6.

XI. In solo hoc campo licet, immo oportet, inimicitiae inimicitiam strenue opponere, & sui vindictam, dicto modo & sine, exercere fortiter, non parcere, non tepido aut *neutrali* esse animo. Sed vti Satanas se gerit, tanquam *Anti-Christum*: ita vicissim Christus se exhibet in suis *ἀντικείμενον* Satanæ, vt ita Satanas sub ipsa *discipulorum* persona suggerere quid, & re-
tia fraudis suæ etiam sub horum *intentione* apparetur bona occultare velit, lux Christi insurgat, & vindicet *mysterium crucis*, donec *iudicium ad victoriam* pertingat in omnibus suis. Match. XVI, 23. 24. 25. XII, 20. 2. Cor. X, 6. 8. XI, 3. VII, 11. Ioan. XI, 33. 38. 40. Marc. III, 31-35. 27. 21. VIII, 33. sq. IX, 19. XIV, 30. Luc. IX, 41.

Quam in rem succurrit Nilus, c. 10. seq. ad Eulogium, de vitiiis, docens, quomodo occultam cum serpente *amicitiam*, gangrænam illam, Medicus noster sapiens bonusque in ipsis conuersis, immo prouectioribus, curandam quandoque habeat per ipsam derelictionem internam, tuncque denuo anima ad *ODIVM*, vt loquitur, *PRIMITIVVM* recurat.

In genere Augustinus: *ille peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennas, odit*, epist. 144. conf. illud ἀποσυεῖν, a *Stryge* dictum. Rom. XII, 9. 20. 21. cum oppositione ad *Θιουσυεῖς*, Rom. I, 30. & Ioh. Moschus in prato c. 187. *qui virtutem possidere voluerit, ni prius oderit τὴν ἀντιδικουσαν αὐτῷς καρδίαν, malitiam ipsi e diametro oppositam, eam acquirere non potest.*

Pax enim, pergimus cum Clemente Alexandrino, & *libertas non aliter accedit, quam per perpetuam & indefatigabilem aduersus animi nostri motus repugnantiam.* (ἀντιμαχίαις) Strom. 2. f. 177.

Atque iterum cum Augustino: *cum cæperis odisse pecca-*

to, iam ipsum odium peccatorum similes nos incipit facere DEO; quia hoc odimus, quod odit & Deus, in Pf. LXXXV. Et ad Pf. CXXXIX, 21. 22. ex Theodoreti paraphrasi: a tuo amore, Domine, pendeo, & EADEM, qua tu, & diligere & odio habere volo. &c. De qua cum Deo conformitate Lutherus etiam in *Psalms Penitentiales*. T. I. Ien. G. fol. 40. b. 32. b.

XII. Hinc prona fluit conclusio, quod inter *iudiciale odium Dei ipsius*, & inter *odium nostrum*, dicitur *penitentiale & obediensiale*, iusta existat convenientia, ac harmonia & conuinctio. De qua loca insigniora sunt, Apoc. II, 6. 15. 2. Chron. XIX, 3. 2. Es. LXI, 2. 8. LXII, 10. Rom. IX, 13. Pf. XLV, 8. II, XXXVI, 2. CXLVII, 10. II, XXXI, 7. Prou. VIII, 7. 13. 36. VI, 16. 26. Sir. XXV, 1-3. seq. XII, 7. XXVII, 27. gr. Luc. VI, 40. seq. 36-31. Act. V, 29. Quodsi ergo exacte semper componamus nostra omnia ad conspectum Dei in Christo indiuisum, tanquam supremam normam, tunc euitabimus & *Manicheismum*, & *superstitionem*, & *hypocrisin*, & *studium partium*; atque sic etiam odium, quod *hypocrisis*, *secta* & *superstitione* ac *inuidia* nititur, nec raro horribiles exercet crudelitates ob non conformes secum ritus, gestus, modos loquendi, & similia, Luc. IX, 49. 55. XIII, 16. 24. III, 7. 8. Iud. V, 9. 22. 23. Sap. XI, 25. Matth. V, 47. 48. 45. XXIII, 33. 13. Marc. III, 5. 27. I. Cor. III, 2. 3. 4. 5. 23. IV, 18. 21. Num. XII, 1. 2. 15. Sap. II, 15. 14.

Μία ἔχθρα ἐνομοθέτησεν ἡμῖν ὁ τῆς ζωῆς ἡμῶν ρυμοθέτης, τὴν πρὸς τὸν ὄφιν λέγων· Πρὸς ὅθεν ἄλλο τὴν ἔμισαν δύναμιν ἐνεργεῖσθαι πρῶταζας, εἰ μὴ πρὸς τὴν ἀποστροφὴν τῆς κακίας· Vnam inimicitiam lege sua sanxit vita nostrae stator (verus atque Diribitor) eam dico cum serpente: neque vllam aliam ad rem exercere facultatem illam odii nos iussit, nisi ad auersandum malum. Nyff. epist. ad Eustath. T. 3. f. 656.

Μὴ τοῖνον ἀναίρεις τὰ ἔθει, καὶ τὰ ἔδιὰβολα· ὁ μὲν γὰρ ἀνθρώπου ἔργον θεῶν, ἡ δὲ πλάνη ἔργον τῆς διὰβολα· Μισοῦν μὲν θεὸς ἐκ ἐκείνης, ἀλλὰ τὸ δόγμα, ὃ τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλὰ τὴν πονηρὰν πράξιν, τὴν διεφθαρμένην γλώσσην· Ne ergo confundas,

das, quæ sunt Dei, & quæ sunt Diaboli. Homo quidem opus Dei seductio autem opus Diaboli; odisse quidem oportet, non ipsos (hostes & ethnicos) sed dogma, non hominem, sed prauam praxim mentem deperditam. Chrysoft. hom. 33. in 1. ad Cor.

XIII. Vti vero in sententia illa diuina serpenti potestas relinquatur lædendi semen mulieris in calcaneo: ita & in Lucæ textu adiunctum legitur: *Et quisquis non hatulat crucem suam, & hoc pacto venit post me, non potest esse meus discipulus, v. 27.* Quod ipsum, tanquam iustum connexum & inseparabile onus portandum, hunc, inter alia, insignem præstat usum, ut in hac crucifixione & subactione adfectuum, veniendoque subsequenter & effectiue post CHRISTVM, huiusque purissimum magisterium, odium mundi, quod tam necessarium est, non nisi reale, diuinum, purum, discretum sit maneatque, nec in personale, seclarium, vel Schismaticum (etiam præter directam primam intentionem, vel alio modo, qui plusquam multiplex est in hac vita misera) degeneret.

V. c. Eitari jam non potest *ὀπίσθε* quædam inter externam, ut vocant, & internam vitam, quia sic medii hæremus inter hoc & inter illud. Tentatur conciliatio varie, quandoque etiam anxie, multumque adhuc certabitur & laborabitur inter has angustias. Optimum remedium est vita CHRISTI, qui exemplo & doctrina sua ostendit, quid præstandum omnino sit in vita civili, & quousque, ut omnis impleatur iustitia. Sobrie utrumque officium iungendum & attente discernendum, ut suum cuique vere relinquatur: Luc. II, 49. 51. ideoque sapientia cælestis imploranda calidissimis precibus, ut pedes nostros dirigat in via, & corrigantur semitæ nostræ in terra. Sap. ix, 18. 16. Prou. xx, 27. Sir. xxxvii, 19. xxxix, 5. 6. 7. seq. Christus ipse precatus est patrem: *& hi (tui meique) IN MVNDO SVNT, & ego ad te venio. Sancte pater! serua hos in nomine tuo.* Ioan. xvii, ii. Coh. III, ii. viii, 16. 17. xi, 2. 5. 8. Pl. xc, 7. ii. Ita ad vitæ huius necessitatem obseruan-

uanda deinceps sunt præcepta ipsa moralia, ciuilia, œconomica, quæ leguntur in Salomoneis plerisque, ac Siracide. Portandum vero in his omnibus est *onus poenitentiale*, quod *medicinale* simul est, Augustino dicente, vide Gen. III, 19. Matth. vi, 34. 24. Luc. ix, 23. 55. 62. Non excutiendum DEI iugum, aut declinandum amore sui, sed in omni casu, qui incidit, voluntas nostra propria cruci adiudicanda, vt vere *post* CHRISTVM, qui solus Mediator in hisce etiam est, veniamus, absque omni *anticipatione* nostræ rationis Matth. IV, 22. Marc. I, 20. confer voculam, *ὀπίσω*, i. Sam. xii, 14. 15. Ac omnino, hoc si fundamentum gratiæ probe iactum sit, cauendum, ne vel *πολιτικούς ἔθεσιν*, quæ Clementis Alexandrini vox h. l. est l. 3. Strom. *ciuilibus moribus* abducamur, (*ἀπὸ γωμίθου*) vel ne *διὰ τὴν πρὸς αὐτὰς (τὰς κατὰ γένος ὁμιλίαις) σχέσιν*, ob relationem, quam ad nos habent cognati, præpediti a bono, damnum incurramus, quæ similiter Theophylacti sunt ad h. l. Quando enim *aut* Christi *aut* mundi voluntas deferenda, non datur medium, quod aiunt, aut tertium. Eligenda illico *crux*: inter cruces etiam imputatio *σὺρράξιων* ferenda, veniendoque post Christum fortiter resistendum mundo sub cruce in omni sobrietate ac patientia. Pœnitendum simul absque furo de intercurrentibus tot nostris erroribus, & respiscendum lubentissime. i. Cor. V, 2. 6. 9. 11. Luc. XII, 49. 51. seq. XVII, 1-5. 2. Theff. III, 14. 15. Ebr. X, 38. Baruch. IV, 2. 3. 4. 28. III, 7-12-14. 23. 38. Hiob. VII, 1. XIV, 1-4. XXVIII, 20-23-28. XXXIX, 37. 38. Num. XII, 14. Prou. XXX, 32. 6. Sir. IV, 30. 31. VIII, 6. XIX, 17. 18. Coh. VII, 11-15. 17-21. 23. Tit. III, 3. 4-8. i. Pet. IV, 1-3. seq. Matth. VII, 12. 13. 14. lege quoque, si tanti tibi videtur res, ut certe est, in Macario, hom. 17. §. 15. hom. 15. §. 42. 35. 47-53. hom. 32. §. 7-10. hom. 37. §. 2. sq. nec non in Apol. A. C. p. 95. 96. quomodo vel in infimis vocationibus, & in priuatis *triumphet* Christus aduersus *Diabolum*.

§. XIV. Respectus denique *Euangelicus*, etiam in primo *affectu*, habet sese ad *zelum* istum ita, vt alter alteri suo modo ad solidiorem indies statum nanciscendum inferuiat, latetque in vocula textus prægnantissima ME. v. 26. 27. MEI *caussa* & *Euangelii*. Marc. VIII, 33-35. seq. X, 29. CHRISTVS IESVS enim & SE sinit paratum, *offert SE*, exhibet se, tradit se, ad quem (ita oblatum amabiliter) tracti a Patre veniam in fide; & terminum quoque, a quo sit discedendum, cum detestatione reali, idem præfigit Saluator noster, ὁ τῆς ζωῆς ἡμῶν νόμος εἶναι, *Stator VITÆ nostræ* (Nysieno, vt paulo ante vidimus, sic dictus etiam in hac materia) quia vita reddi non potest, sine eiectione *contrarii*. Quo spectat suo modo doctrina de *penitentia IN NOMINE IESV*. Luc. XXIV, 47. & in genere locus ille insignis in apologia A. C. *Ideo iustificamur, vt insi bene operari & obedire legi Dei incipiamus. Ideo regeneramur & Spiritum S. accipimus, vt noua vita habeat noua opera, nouos affectus, timorem, dilectionem Dei, ODIVM concupiscentiæ, &c.* p. 134. (192.) Vide de mutua hac ἐπιτομῇ euangelii & zeli pœnitentialis, (seu ex pœnitentia orti) præter iam dicta, Apoc. III, 19. gr. Hof. II, 6-14-16. 17. Luc. VII, 42-47. 1. Pet. I, 22-25. II, 1. sq. II, 11. sq. IV, 1-3. 2. Pet. I, 3-9. Tit. III, 3. 4. sq. 1. Cor. VI, 11. 12. 19. Eph. II, 3. sq. Gal. I, 16. II, 19. 20. 21. IV, 16-20 29. V, 23. 24. VI, 11. 12-17. Pf. XXVI, 3. sq. 2 Sam. XXIII, 1-6. 7. 15. sq. V, 8. Ebr. XI, 6. 7. 23-35. Ef. XXXVIII, 15. 16. 17. Pf. CXIX, 104. 113. 128. 163. Deut. XXXIII, 8. 9. 11. Ezech. XVI, 63. XLIII, 11. 1. Tim. I, 15. 13.

Nec possum, quin adhuc (& forte sine nausea aliorum) adscribam *comparationem* illam perspicuam, qua Macarius utitur hom. 4. §. 14. 15. sq. *Si carnalis communionis dilectio separata a patre, matre, fratribus, & omnia extraneo sunt animo, & se quid diligit, diligit, vt extraneus, omnem suam affectionem retinens erga coniugem suam. ANTI τῆς ἐξουσίας enim h. e. in oppositione huius inquit Scriptura, Eph. V, 31. relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ. Si igitur dilectio carnis sic ab*

omni amore soluit: quanto magis ii, qui digni euaserunt, vera participatione spiritus illius, ab omni amore mundi exsoluentur, & omnia ipsis superflua videbuntur, ardore etiam ex πῶτον exsurgente. Quæ ipsa oppositio (ANTI τῶτον) non parum facit ad euangelicam partem textus nostri illustrandam, eademque verbis paulisper mutatis reperitur in opusc. de erectione mentis c.9. Simile quid est, KATA τῶτον, apud Chrysostomum hom.36. in Matth. & odium mali propter bonum, apud Lutherum, T. i. Jen. L. f.13. b. 269. a T. 2. f. 300. a. 301. a.

Eiusmodi qui est, pergit Macarius, omnes mundi res pretiosas, ipsam quoque cognitionem, & omnia, quæ sunt huius seculi, execranda ducit, & odio digna. &c. &c. hom. 9. §. 8. 9. 10. hom. 15. §. 42. hom. 16. §. 12. 13. hom. 17. §. 15. hom. 18. §. 8. hom. 26. §. 18. hom. 32. §. 7. hom. 37. §. 2. 1. (vbi τὸ ANTI efficacissime ingeminatur) & hom. 45. §. 1. Confert huc nonnihil Lyserus, harmonia, c. 120. & Spenerus, in der Aufmunterung zur Beständigkeit bey der reinen Lehre des Evangelii, p. 66. sq. 79. sq. item im Franckf. Denckmal p. 207.

§. XV. Quibus omnibus recte obseruatis, constabit, credo, magis magisque, quo pacto ODIVM, de quo egimus, Christianum sit & salutare, incipiens statim cum ipso discipulatu Euangelico Noui Testamenti, adeoque ad præcepta prima & vniuersalia Christianismi, non ad consilia modo perfectionis particularia, vel Eremitas aut Monachos, pertinens; sine quo CHRISTVS amari vel haberi nequit: sine quo non potest esse quis Christi discipulus, v. 26. 27. 33. vel deinde miles esse Christi, v. 31. 32.; vt cum pudore meo ingemiscendum sit: quis ergo iam Christianus est! Ebr. XII, 4. Nectamen solui potest Scriptura; aut fallere promissio gratiæ, si militiam subeamus fide in Christum, reddentes Ipsi Vni Soli cor nostrum contritum in genuina simplicitate & veritate; immo potius redditi per Iplum Patri, ex quo omnis *uulgia* in cælis & super terra nominatur, cui soli per filium vnigenitum in spiritu S. debentur nostra omnia.

For-

Forſan etiam data fuit his qualibuscunqꝛ noſtris occaſio aliqua meditando ulterius, quo pacto bene meliusque indies inter ſe conuenire poſſint *zelus & caritas, veritas & ſocialitas*, ſi modo res agatur ſerio, nec eluſio vlla capretur, nec pigeat ſemper innocare Patrem luminum, apud quem mera puritas, intueri Chriſti doctrinam vitamque integram, ſibi quidem ipſi ſemper ſuſpectum eſſe, & recordari in ſe aliisque iuſtitia & gratia, atque hæc facere, & illa non omittere.

Atque hæc ſufficiant, *Schæffere pereximie*, quæ tuis cogitatis ſatis conuenire atque concordare puto. Animus erat ab initio, perluſtrare natas inde controuerſias, nec ego, id primum fuiſſe, cuius tibi ſpem feceram. Sed cum tangere prius vellem genuina doctrinæ huius, quæ tot offendiculis hominum expoſita eſt, principia, video me iam fere modum epistolæ inopinato exceſſiſſe, vt cogar propoſito deſiſtere. Per me tamen licet, ſi quis paraphraſin illam, quæ, nouem fere abhinc annis, parte prima Actorum Hamburgeniſium, p. 113. relata legitur, cum textu tuo primo conferre inuicem, vel etiam canonem, quem Neoterici quidam paſſim erigunt ex illo: *nemo odit carnem ſuam*, Eph. V, 29. cum analyſi, quæ paulo ante ex Macario, §. XIV. data, comparare voluerit. Nos nulla *ἁδοξία* adſectamur: cauendum vero nobis eſſe credimus, ne qua cenſura in ipſa CHRISTI redundet verba, quæ non minus *παροδοξία* cenſeri poſſent, vt oſtendit §. VI. De controuerſia, quam Eccius cum Luthero habuit, circa methodum *predicantium* pœnitentiam, digniora notatu dicenda fuiſſent, quia in his multa occurrunt de ordine inter *odium mali, & amorem boni*. Paucis dico in gratiam veritatis amantium. (1) Mentem Lutheri plenam magis e *Pſalmis pœnitentia libus*, quos eodem tempore expoſuit, petendam, quam ex iis ſolis, quæ in ſtrepitu diſputationis dicere potuit. vide ſupra §. XI. & XIV. Experientia enim per omnem ætatem docuit, quod diſputationibus de pœnitentia parum promotæ fuerit ipſa pœnitentia. (2) Vt Eccius pro eo decertauit, quod

Predi-

Prædicatores Romanenses taxari in suo modo prædicandi vsitato non debuerint: ita Lutherum impugnasse non varios gradus hominum sub poenitentia laborantium, sed praxin tum receptam Confessionariorum & Prædicatorum Romanensium, vna cum hypothesibus suis, de seruili metu, ad res magisterii sui satis longe extensis. In antiquitate quidem occurrunt aliqua extraordinaria, quæ temere aliquando laudantur ab his, temere culpantur ab illis. Exempla tamen horribilis abusus rextus nostri sub Papatu ipsi cordatiores agnoscunt; suntque hodie per Dei gratiam in Romana ecclesia, qui limites iustos in applicando textu præsentis obseruare student, quantum in ipsis est, & sana multa scribere solent de vera abnegatione. De cetero enim prædominatur aliorum dolus sacer & superstitio. Sed hæc & alia iam, vt dixi, missi faciendâ sunt. Ego vero vt mea; hæc additamenta bonorum iudiciis liberoque examini relinquo: ita tu *Scheffere*, habes in re ipsa, quod recolas excolasque, per totam vitam, *εις ουρανίου δωρεαυ*.

Αγορ' Vale etiam atque etiam in Christo Domino.

Dabam e Museo, d. XXII. Septembr.

M DCC IV.

D. PAVLVS ANTONIVS, PRÆSES.




01 A 6534


sb.

10/12

R

Mi. 66.





F. D. F. 2


DISSERTATIO THEOLOGICA, 2

DE

ODIO PŒNI- TENTIALI,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
PAULI ANTONII,
SS. THEOL. DOCT. ET PROFESSORIS PUBL. ORD.
IN ALMA FRIDERICIANA,
PUBLICO Θεολογικῶν EXAMINI EXHIBUIT,
D. XXVI SEPT. A. MDCCIV.

RESPONDENS AUCTOR,
PETRUS SCHÆFFER,
BEROLINENSIS, IAM SUPERINT. BRANDENB.



TERTIA EDITIO.

HALÆ MAGDEB. sumtu HENDELIANO, 1728.